



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



25904 d.


Rome

1a.  $\frac{5}{1}$

= i' cat 4° 1531<sup>7</sup> 552

= R Cat 975.





BIBLIOTHECA APOSTOLICA

VATICANA

CODICES PALATINI LATINI

TOM. I



ROMAE

EX TYPOGRAPHEO VATICANO

MDCCCLXXXVI

57

TYPIS EXIERUNT

*Codices Palatini graeci, tomus unicus.*

*Codices Palatini latini, pars prior.*

---

TYPIS PARANTUR

*Codices Palatini latini, pars altera.*

*Codices graeci Reginae.*

*Codices graeci Pii PP. II.*

*Codices graeci Urbinates.*

BIBLIOTHECA APOSTOLICA

VATICANA

---





BIBLIOTHECAE APOSTOLICAE

VATICANAE

CODICES MANUSCRIPTI RECENSITI

IUBENTE

LEONE XIII PONT. MAX.



PONTIFICATUS ANNO VIII



CODICES PALATINI LATINI  
BIBLIOTHECAE VATICANAE

DESCRIPTI

PRAESIDE I. B. CARDINALI PITRA

EPISCOPO PORT. S. R. E. BIBLIOTHECARIO

RECENSUIT ET DIGESSIT

HENRICUS STEVENSON IUNIOR

RECOGNOVIT

I. B. DE ROSSI

EIUSDEM BIBLIOTHECAE SCRIPTORES

PRAEIT COMMENTATIO I. B. DE ROSSI  
DE ORIGINE HISTORIA INDICIBUS  
SCRINII ET BIBLIOTHECAE SEDIS APOSTOLICAE

TOMUS I

ROMAE  
EX TYPOGRAPHEO VATICANO  
MDCCCLXXXVI

*259. t. Pitra*



## MONITUM

Cum LEONIS XIII Pont. Max. iussu mihi commissum fuerit, ut Bibliothecae Apostolicae Vaticanae codices latinos describerem, eorumque tabulas typis mandarem, iam parato volumine, quod fere mille priores libros manuscriptos ex palatinis olim heidelbergensibus, amplexum est, lectorem humanissimum monitum volui, ut quid actum fuerit, quoque modo, quidque adhuc agendum, paucissimis ei innotescat.

Suscipienti igitur mihi laborem ingentem et humeris imparem, ea ratio operis statuenda erat, quae magis et longo itinere reique tandiu desideratae et undique exoptatae, magis conveniret. Nam si licebat in describendis codicibus graecis latius exspatiari, id ipsum facere latinos aggredienti minime concedebatur, utpote qui numero longe maiores, ab uno homine nimium in eis immorante proxime ad finem perducere nequirent. Consilio itaque et auctoritate Eminentissimi Cardinalis Iohannis Baptistae Pitra, S. R. E. Bibliothecarii, et virorum quibus rei huius cura demandata fuerat, praeceptum est, ut perfunctorio agmine codices recenserem, statistique legibus eos in tabulas digererem.

Cui brevitati enixe studens, membranis tamen chartisve accuratissime excussis, hoc unum prae oculis habui ut nihil omitterem, et omnia quae in singulis voluminibus continerentur ea pro viribus

in apricum diligenter proferrem. Argumenta ex titulis deprompta uncinis inclusi. Alia, cum id agere non licebat, ex ipsis scriptis, sive quo alio modo rectius potui, excitavi. Legitimo verborum ordine parumper inverso, auctorum nomina plerumque, iuxta praecepta, initio collocavi. In libris anonymis aut dubiis initia addidi, quae quidem omisi in aliis sive notissimis sive auctoris nomine insignitis.

Nec satis fuit omnem adhibuisse diligentiam, ne quid deesset quod eruditorum virorum commodis proficeret. Nam clarissimus eques Iohannes Baptista De Rossi, in hoc longo itinere dux sapientissimus, mecum bis terve codices evolvit, schedulas meas excussit, tabulas iam typis paratas sedulo recognovit. De recta aetate librorum statuenda vehementer solliciti, et ego et omnes tandem iudicio tanti viri freti quiescimus. Sententias iam prolatas in codices palatinos undique exquisivi, evulgatas adhibui; cum tamen id esset contra leges operis, eas non indicavi. Quaedam sane erunt in hoc catalogo desideranda, ut nomina possessorum, subscriptiones librariorum, aliave quae non solum ad pleniorum cognitionem singulorum librorum maximum conferunt auxilium, sed historiae totius bibliothecae palatinae non modice prosunt. Quominus vero ea omnia statim amplecterer eaedem leges prohibuerunt. Expleto tamen hoc catalogo nostro, historia haec erit persequenda, et quicquid quavis de causa consulto omiserimus, id luculenter in futurum proferemus. Interim et optima illa quae pater noster carissimus Henricus de codicibus graecis praefatus est et quae de instituto nostro breviter admonui, dicta sufficiant.

HENRICUS STEVENSON *iunior*

DE ORIGINE HISTORIA INDICIBVS  
SCRINII ET BIBLIOTHECAE SEDIS APOSTOLICAE

COMMENTATIO

IOANNIS BAPTISTAE DE ROSSI







## PRAEFATIO

Anno 1880 LEO XIII pont. max. providentissimus sapienter decrevit, ut tabulae codicum bibliothecae Vaticanae, a Stephano Evodio et Iosepho Simone Assemanis auctoritate decessoris sui Benedicti XIV edi coeptae anno 1756, et volumine quarto misere flammis absumpto, anno 1768 intermissae, ad eam formam, quae nunc maxime probatur, redigerentur typis vulgandae, quo assiduis doctorum hominum votis satisfaceret. Statim Ioannes Baptista Pitra v. em. cardinalis bibliothecarius S. E. R. leges operi praescribendas constituit; accitis in consilium viris clarissimis Alphonso Capecelatro *vice-bibliothecario* (nunc archiepiscopo Campano et presb. cardinali S. E. R.) et deinde in locum eius suffecto Iosepho Cozza abbate ex ordine monachorum Basilianorum, item Stephano Ciccolini et I. Bollig S. I. praefectis, nonnullisque e collegio scriptorum bibliothecae. Interim, ne dum editio paratur nuntio optatissimo res publica litteraria careret, mandatum mihi est, ut

intermissi operis historiam breviter recensens novi inceptus praescriptum publice exponerem. Quo *programme* pervulgato et deinde in speciem commentarii paullo amplioris explicato <sup>1</sup>, denuo exarsit diuturnum litteratorum hominum desiderium, ut bibliothecae Vaticanae, quae sin minus numero, pretio certe codicum manu scriptorum princeps habetur, enarrentur origo, vices, historia ea forma expositionis et copia rerum ac documentorum, quas dignitas argumenti et bibliographicae doctrinae hoc tempore conditio videntur requirere. Ac mihi quidem in votis erat, quod Assemani in praefatione ad volumen primum vix inchoarunt, id initio huius novi operis perficere vel quatenus fieri posset provehere. Etenim Assemani de origine, incrementis, administris bibliothecae Vaticanae disserentes, quod ad veterem praesertim historiam et antiquos indices codicum attinet, ieiune nimis, ne dicam parum exacte, rem absolverunt; ceteri vero, qui Assemanorum vestigia relegentes in eodem argumento versati sunt, desiderati operis complendi propositum et munus haud suscepere <sup>2</sup>. Quare memoria scrinii et bibliothecae sedis apostolicae ab ultima antiquitate paene ex integro repetenda est atque expiscanda; veteres indices codicum requirendi sunt, ordinandi et cum recensione bibliothecae et statu, qui nunc est, comparandi; denique tota tanti thesauri historia est retexenda. Sed ea nunc conditio est apparatus ad hoc opus necessarii, ut plene et recte adhiberi vix ac ne vix quidem possit.

<sup>1</sup> *La biblioteca della Sede apostolica ed i catalogi dei suoi manoscritti. - I gabinetti di oggetti di scienze naturali, arti ed archeologia annessi alla biblioteca Vaticana*, Roma 1884.

<sup>2</sup> V. de Reumont in *Archivio storico italiano, nuova serie* VIII p. 132-142.

Historia bibliothecae sedis apostolicae trifariam per succedentes aetates dispertienda est. Prima aetas ab originibus pertingit ad finem prope saeculi XIII: altera ab anno 1295 et pontificatu Bonifatii VIII ad pontificatum Eugenii IV (a. 1431-1447): tertia incipit a Nicolao V et ad nostra usque tempora deducenda est. Primae aetatis historia toto tredecim fere saeculorum cursu obscurissima est, eiusque tractatio valde impedita. Neque intra tam longi temporis ambitum reperitur, quae vere dicit possit recensio librorum, diplomatum et chartarum sedis apostolicae. Quin immo e tanti thesauri, velut in mare mersi, naufragio vix rarae tabulae enatarunt. Quaecumque de tota hac obscuriore et prolixa parte operis propositi recentissimis quoque scriptis tractata sunt vel mea investigatione reperta, diligenter collegi et composui; neque ulla ratio est, cur nolim ea iam nunc enucleate et ordinatim exponere.

Secus dicendum de aetatibus sive partibus altera et tertia. Altera aetas incipit a recensione librorum et suppellectilis pretiosae facta iussu Bonifatii VIII a. 1295. Deinde complectitur historiam bibliothecae et archivi sedis apostolicae ab Urbe transmigrantium, itineribusque variis sedes mutantium; tum novam et pro eo tempore amplissimam bibliothecam Avenione institutam et postea temporibus et locis diversis dispersam; denique bibliothecam pontificiam, sublato schismate Avenionensi, Romae instaurari coeptam a Martino V et Eugenio IV. Huius temporis et historiae documenta suppetunt; quin et recensiones bibliothecae et archivi extant plures et accurata librorum descriptione notabiles. Quae servatae extra pluteos bibliothecae Vaticanae, praeoccupatae iam sunt et propediem edendae a Fr. Ehrle S. I., et Mauritio Faucon, Eugenio Müntz,

Paulo Fabre sodalibus scholae Gallicae in Urbe. Quare neque viris doctis et mihi coniunctissimis ullam laudis partem decet a me praeripi; neque fieri potest, ut seposito tam insigni documentorum apparatu altera huius historiae pars explicetur.

Denique in idem genus impedimenti offenderem, si de tertia aetate bibliothecae Vaticanae tractare, ut par est, aggrederer. Medio saeculo XV Nicolaus V novam ex integro, ditissimam, publico destinatae bibliothecae instituit, codicibus conquisitis toto fere orbe terrarum; eaque a Xysto IV firmiter stabilita et ordinata est, discreta in palatinam publicam et secretiorem. Itaque vera origo eius, quae maximis aucta incrementis nunc publica Vaticana dicitur, ultra pontificatum Xysti IV et Nicolai V minime adscendit. Extant indices librorum Nicolai V et Xysti IV; quorum alter a Bartholomaeo Platina confectus est, eiusque apographa ad exteras quoque bibliothecas pervenere. Hos indices praelo nunc parant Eugenius Müntz et Paulus Fabre supra laudati. Sequuntur recensiones codicum bibliothecae Vaticanae factae exeunte saeculo XV et toto XVI ante et post direptionem Urbis a. 1527. Anno 1600 Fulvius Ursinus testamento legavit bibliothecae Vaticanae libros manu scriptos et typis impressos auctos adnotationibus virorum doctissimorum. Cuius thesauri locupletissimi indicem ab ipso Ursino confectum, dum hae paginae praelo mandantur, edidit Ioannes Beltrani <sup>1</sup>: plenum vero commentarium de bibliotheca Ursiniana, quae insigne ornamentum incrementumque est Vaticanae, nunc parat Petrus de Nolhac sodalis scholae Gallicae in Urbe. Denique ineunte saeculo XVII indices codicum Vaticanorum, quibus nunc utimur,

<sup>1</sup> *I libri di Fulvio Orsini nella biblioteca Vaticana*, Roma 1886.

ductu Caesaris Baronii bibliothecarii, tota re ab eo cum doctis viris attente perpensa et provisa, confici coepti sunt et ad nostram aetatem continuati. Haec recensio, quae appellari potest hodierna, quippe iam inde a saeculo XVII immutata, conferenda est cum antiquioribus; ut de singulis codicibus clare constet, unde sint, qui a bibliotheca vetere, Avenionensi, Xystina ante direptionem Urbis supersint, qui perierint. Quod opus, diuturni sane laboris et taedii, a bibliographicae doctrinae studiosis expetitur non nisi quum nova recensio editionis parandae gratia instituta ad seriem codicum Vaticanam antiquiorem pervenerit, perfici poterit.

Huic editioni initium fieri iussum est a serie codicum, non Vaticana antiquiore, sed Palatina. Cuius peculiarem historiam Henricus Stevenson senior in praefatione ad volumen codicum Graecorum Palatinorum diligentissime persequutus est: neque secus fiet in unaquaque serie codicum bibliothecae pontificiae, praesertim vero in omnium antiquiore et maxima, quae proprie dicitur Vaticana. Quae quum ita sint, nemo non intelligit cur altera et tertia pars fastorum huius bibliothecae nunc perfici neque debeat neque possit; earumque plena tractatio praefationi et indicibus codicum, qui dicuntur proprie Vaticani, sit reservanda.

Huius historiae parte priore, cuius potissimum obscuritates qua fieri poterit luce declarandas suscipio, ab originibus usque ad initia saeculi XIII bibliotheca et scrinium sive archivum sedis apostolicae, licet altera ab altero aliquo modo discreta, separari tamen nequeunt. Ad hanc aetatem pertinent regesta vetera epistolarum pontificum, quorum exemplaria *authentica* neque in tabulario Vaticano neque ullibi servata sunt. Eorum originem, vices, interitum attente investigabo.

Exeunte vero saeculo XII, id est a pontificatu Innocentii III a. 1198, incipiunt regesta, quae nova vel Innocentiana appellanda esse censeo. His inde ab initio sedes adtributa videtur esse in curia Vaticana (*cancellaria et camera apostolica*), prorsus seiuncta a bibliotheca <sup>1</sup>. Ad haec regesta, quae maximum instrumentum ornamentumque sunt tabularii Vaticani, liberalitate Leonis XIII pont. max. doctis nunc omnibus aditus patet. Quam plurima certatim sive magnae sive minoris molis opera et commentaria iis edendis et illustrandis confici coepta sunt et in dies provehuntur, quae in amplam iam bibliothecam excrescunt et nimis longum esset recensere. De his regestis novis, quorum cum toto tabulario procuratio proprios habet administratos propriamque, ut ita dicam, litteraturam, dicere mei officii non est.

Ceterum de epistolis pontificum, quae in regesta tum veteratum nova relata sunt sive aliunde innotuerunt, volumine spisso et co-

<sup>1</sup> De regestis saeculi XIII (praeter recensionem eorum digestam ab A. Potthast; Regestum Honorii III edi coeptum a Petro Pressuti; aliorum pontificum a sodalibus scholae Gallicae) vide Kaltenbrunner, *Römische Studien I - Die päpstlichen Register des XIII Jahrhunderts* (in *Mittheil. des Instituts für österreichische Geschichtsforschung* V (1884), 2); Denifle, *Die päpstl. Registerbände des XIII Jahrhunderts* (in *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte* II (1886) p. 1-105); Digard, *La série des registres pontificaux du XIII siècle* (in *Bibl. de l'école des chartes* (1886) t. XLVII); Berger, *Les registres d'Innocent IV* tom. I p. V-LXXIX: de ceteris regestis vide praesertim Prolegomena ad Regestum Clementis pp. V editum iussu Leonis XIII pont. max. a monachis ordinis s. Benedicti (Al. Tosti, Gregorio Palmieri, I. Navrátil, C. Statsny, Anselmo Caplet); Hergenröther (card.) Praefat. ad Regesta Leonis X; Kaltenbrunner, *Römische Studien II* (*Mittheil. cit.* VI, (1885) I p. 78-93); Ottenthal, *Die Bullenregister Martin V und Eugen IV*, Innsbruck 1885, alios (cf. Carini, *Le lettere ed i regesti dei papi*, Roma 1885 p. 111 et seqq.).

pia rerum ac documentorum abunde referto nuper egit I. B. Pitra cardinalis bibliothecarius <sup>1</sup>. Cuius, ne dicam mandato, certe benivolo desiderio effectum est, ut indicibus codicum manu scriptorum prae-mitteretur mea qualiscunque commentatio historica de bibliotheca sedis apostolicae. Votis viri eminentissimi et doctorum hominum expectationi non nisi ex parte hoc commentario satisfactum iri probe sentio: benigne tamen, spero, excusabor iis de causis, quibus operis perfectionem nunc impeditam esse monui, et quod animo aliis curis distento scripsi.

Romae v kal. Iulias MDCCCLXXXVI.

<sup>1</sup> *Analecta novissima Spicilegii Solesmensis altera continuatio tom. I De epistolis et registris Romanorum pontificum*, Parisiis 1885. Epistolas pontificum undecunque quaesitas nuper ediderunt Iulius von Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. inedita* (a. 97-1197), quorum volumen tertium, dum haec scribebam, lucem vidit (cf. eiusdem *Iter Italicum* vol. duo); *Chartarum pontificum Romanorum specimina selecta, pars prima* Stuttgart 1885: et Loewenfeld, *Epistolae Rom. pont. ineditae*, Lipsiae 1885.





## CAPUT I.

### De bibliothecis ecclesiarum, praesertim Romanae, a prima origine ad tempora Diocletiani.

Assemani repetunt origines bibliothecae Vaticanae ab evangelio, quod Marcum scripsisse auctore Petro principe apostolorum et Romanis dedisse traditur; et a libris ac membranis, quas Paulus Romae captivus Timotheo, ut ad se perferret, mandavit (2 Tim. IV, 13). Quae licet nimis longe petita possunt videri, rei tamen Christianae initiis consentaneum est in singulis ecclesiis bibliothecae inchoandae exordium coepisse a codicibus sacrorum librorum; iis praesertim, qui stato quoque die et conventu publicae lectioni adhibebantur. Sane Ignatius Antiochenus scribens ad Philadelphien- ses innuit iam tum a disputantibus de doctrina Christi provocatum esse ad evangelia his verbis: *ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, οὐ πιστεύω* (*nisi in archivis, id est in evangelio, invenero, non credam*). Quae quum pervicaci contentione dicerentur, Ignatius exclamat: *sibi archiva esse Christum Iesum, illibata archiva crucem eius et mortem et resurrectionem et fidem in eum*<sup>1</sup>. Haec ut recte intelligantur, reputandum est sua singulis civitatibus ἀρχεῖα fuisse, quorum in Graecis titulis civitatum Asiae, unde Ignatius epistolas

<sup>1</sup> Ἐμοὶ δὲ ἀρχεῖα ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστός, τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ, Ignat. ad Philadelph. VIII, 2 ed. Funk, Opp. patr. apost. Tubingae 1881 I p. 230. De vera huius loci lectione (ἀρχεῖα, non ἀρχαῖα) v. Funk, l. c.

scripsit, frequentissima mentio fit <sup>1</sup>. Quemadmodum civitatibus, ita et ecclesiis sua singulis ἀρχεῖα iam olim institui coepta sunt: neque fieri potuit quin Romana, quam Ignatius προκαθήμενον τῆς ἀγάπης, id est praesidentem universo coetui foederatorum ἐν ἀγάτῃ (Christianorum) <sup>2</sup>, Irenaeus *maximam, antiquissimam, potiore principaltate* eminentem appellarunt, mature τοῦ ἀρχεῖου et bibliothecae sacrorum codicum fundamenta non iecerit curamque susceperit.

Quae saeculo sexto narravit auctor Libri pontificalis, et ab Assemanis recepta sunt, de Urbe a Clemente proximo Petri successore divisa in septem regiones adtributas « *notariis fidelibus ecclesiae, qui gestas martyrum sollicitè et curiosè, unusquisque per regionem suam diligenter perquireret (sic)* » <sup>3</sup>, a subsequentis aetatis institutis petita esse et ad tam altam originem retro acta plerique, opinor, concedent. Praeterea incertus auctor martyrii Clementis meminit pauperum, quos ille ut aleret κατ' ἕκαστον ῥεγεῶνα κατ' ὄνομα εἶχεν γεγραμμένους (*secundum singulas regiones et singulorum nomina inscribendos curavit*) <sup>4</sup>; quas *matriculas* alumnorum caritatis fraternae Christianae, sin minus aetate Clementis, saeculis certe secundo et tertio extitisse in scriniis ecclesiae Romanae, certis indiciis infra demonstrabitur. Ut ut haec sunt, sacrorum librorum ecclesiae Romanae primum quodam modo indicem iure mihi videor agnoscere in celeberrimo fragmento canonis, quod dicimus Muratorianum. Cuius auctor Romae vel non longe ab Urbe vixit medio

<sup>1</sup> Dareste, *Le ΧΡΕΩΦΥΛΑΚΙΟΝ dans les villes Grecques* in *Bull. de corresp. Hellénique*, VI (1882) p. 241-245.

<sup>2</sup> V. Funk, l. c. p. 212, 213.

<sup>3</sup> Lib. pont. ed. Duchesne I p. 123.

<sup>4</sup> Funk, l. c. II p. 30.

fere saeculo secundo; Herman enim dicit scripsisse *nuperrime temporibus nostris, sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius* <sup>1</sup>.

De doctorum Christianorum studio erga bibliothecas, quas numero et delectu codicum ditissimas adversis christianae rei publicae temporibus praesertim Origenes eiusque fautores et discipuli Ambrosius, Alexander episcopus Hierosolymitanus (a. 212-251), Pamphilus Caesariensis instruxerunt, vulgatissima repetere mei propositi non est <sup>2</sup>. Copia librorum haud spernenda Romae certe usi sunt auctor anonymus Philosophumenon et Hippolytus, cuius statuem celeberrimam in ipsa bibliotheca sive eius sive ecclesiae a discipulis et amicis dedicatam videri, capite septimo significabo. Quam sollicite veteres curarint, ut librorum non tantum utriusque foederis sed et ceterorum ad Christianam doctrinam et historiam pertinentium sincera et emendata exemplaria multiplicarentur, antiquissimi testes sunt qui epistolae ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi unde eam excepissent singillatim adnotarunt <sup>3</sup>; item Irenaeus Lugdunensis hoc nomine ab Eusebio summopere laudatus <sup>4</sup>; denique Origenes, Lucianus, Pamphilus et Antoninus martyres in ipso

<sup>1</sup> Hesse, *Das Murat. Fragm.* v. 73 et seqq.; cf. Gebhardt, Harnack, Zahn, *Patr. apost. opp. ed. Lips.* 1875 p. XLIV et seqq.; Funk, l. c. I p. CX.

<sup>2</sup> V. Euseb. *Hist. eccl.* VI, 3, 20, 32; Hieron. *De viris ill.* c. 3, 54, 56, 61, 75, 113; *Comm. ad Tit.* c. 3; Isidor. *Hispal. Etym.* VI, 6.

<sup>3</sup> Funk, l. c. p. 307, 308. Hac adnotatione citatur codex Irenaei discipuli ipsius Polycarpi; unde epistolam descripsit Caius comes Irenaei; deinde ex Caii exemplari Socrates, *Corinthi* (tempore ignoto); denique scripturam antiquitate evanescentem excepit Pionius, de quo consulendus Lud. Duchesne, *Vita s. Polycarpi auctore Pionio primum graece edita*, Parisiis 1881 p. 8 et seq.

<sup>4</sup> *Hist. eccl.* V, 20.

carcere iam morti destinati codices sacros relegentes, emendantes <sup>1</sup>. Sed haec ad codices pertinent tum publicos ecclesiarum tum privatos quorumcunque Christianorum. Nobis de bibliothecis ecclesiarum, potissimum Romanae, nunc sermo est <sup>2</sup>.

De bibliothecis ecclesiarum ante Constantinum expressa testimonia manent in actis Africanis magistratuum, qui exequuti sunt mandata Diocletiani et Maximiani praecipientium *conventicula* Christianorum dirui, libros comburi. In actis Munatii Felicis flaminis perpetui et curatoris coloniae Cirtensium legitur: « *Quum ventum esset ad domum, in qua Christiani conveniebant, . . . postea quam perventum est in bibliothecam* <sup>3</sup>, *inventae sunt ibi armaria inania* »: deinde Paulus episcopus fatetur *scripturas lectores habere*, a quorum singulis codices exurendi petiti sunt; et collecta summa reperiuntur prolata numero triginta duo, alii maiores, alii minores, et « *quiniones quattuor* » <sup>4</sup>. Alfius Caecilianus duumvir municipii Autumnitanorum « *perrexit ad locum, ubi (Christiani) orationes celebrare consueti fuerant, inde cathedram tulit et epistolas salutatorias* »; et paulo

<sup>1</sup> V. Tischendorf, Codex Friderico-Augustanus, Lipsiae 1846 f. 19: *Bull. di arch. crist.* 1863 p. 65-68.

<sup>2</sup> De bibliothecis ecclesiarum generatim, consulendi: Cancellarius, *De secret. basil. Vat.* I p. 325 et seqq.; Cahier, *Nouveaux Mélanges d'archéologie* tom. IV, *Bibliothèques* (Paris 1877); Martigny, *Dictionn. d'arch. chrét. art. Bibliothèques*; Kraus, *Real-encyklop. d. christ. Alterthümer* I p. 153, 154.

<sup>3</sup> Vetus exemplar gestorum purgationis Caeciliani: *in bibliothecis*. Collato Augustino (contra Cresconium III, 29; IV, 56) Massonus emendavit *in bibliothecam*. *Bibliothecae* quidem plurali numero sunt armaria, quibus libri includebantur; quare Dupinius (post Optati, *De schism. Donat.* Paris 1702 p. 172) lectionem veteris exemplaris recipiendam existimavit. Sed ex toto contextu verborum intelligitur lectionem traditam ab Augustino esse veriore.

<sup>4</sup> *Gesta purg. Caecil.* ed. cit. p. 168.

infra iisdem actis consignatum est « *epistolas salutaris de basilica esse prolatas* » <sup>1</sup>. Has epistolas opinor fuisse mutuas episcoporum, praesertim commendaticias *fratrum peregrinantium*, quae saeculo quarto sollemni vocabulo *formatae* dictae sunt. Denique in his actis mentio fit *codicum pretiosorum, pretiosissimorum*, quos qui occultaverat ne redderet, mentiebatur esse combustos. Mensurius episcopus Carthaginensis scripsit: « *se sanctos codices, . . . ne a persecutoribus invenirentur, abstulisse atque servasse, dimisisse autem in basilica Novorum quaecumque reproba scripta haereticorum; quae cum invenissent persecutores et abstulissent, nihil ab illo amplius postulasse. Verumtamen quosdam Carthaginensis ordinis viros postea suggessisse proconsuli, quod illusi fuerant, qui missi erant ad Christianorum scripturas auferendas et incendendas, quia non invenerant nisi nescio quae ad eos non pertinentia; ipsas autem in domo episcopi custodiri, unde deberent proferri et incendi; proconsulem vero ad hoc eis consentire noluisse* » <sup>2</sup>. Itaque bibliotheca ecclesiae Carthaginensis ab incendio immunis evasit. Secundus quoque episcopus Tigisitanus testatus est « *missos a curatore et ordine centurionem et beneficiarium, qui peterent divinos codices exurendos, . . . contentos fuisse aliqua ecbola aut quodcumque accipere, neque hoc (se) eis dedisse* » <sup>3</sup>. Plerique vero magistratus huiusmodi dissimulationibus uti noluerunt; neque eis satis fuit, ut quaecumque *ecbola* (chartas eiectas, inutiles), scripta haereticorum vel epistolas salutaris comburerent et edicto principum specie tenus obtemperarent. Quin immo non modo ab ordine lectorum, cui sacrorum codicum custodia tunc maxime commissa

<sup>1</sup> Gesta purg. Felicis ep. Aptungitani ed. cit. p. 164.

<sup>2</sup> Augustini, Brevic. collat. cum Donatistis III, 13.

<sup>3</sup> L. c.

erat <sup>1</sup>, sed et a quibuscunque sive viris sive feminis « *membranae, libri, tabellae, codicilli et paginae scripturarum impiorum Christianorum, qui unquam fuerunt* » <sup>2</sup>, acriter expetitae sunt, eorumque occultatores dira supplicia pertulere. Igitur bibliothecae ecclesiarum, vix paucis exceptis, Diocletiani edicto funditus eversae, deletae vel ipsa cura occultandi codices dispersae periire. De codicibus sacris Romanis quid hac tempestate actum sit, ignoratur. Sed quum Donatistae Collatione III Carthaginensi perlegerint *gesta quaedam prolixissima apud praefectum* (certe Urbis) *multorum hoc tempore multa ecclesiastica tradentium* <sup>3</sup>, in his et codices commemoratos esse ipsa Donatistarum accusatione intelligitur. Et quum tanta et tantopere deplorata sit penuria actorum documentorumque pertinentium ad res ecclesiae Romanae ante Costantinum, codices et scrinium sacrum urbanum hac clade periisse fere pro certo sumendum est. Hierosolymitana vero bibliotheca, quam dixi ab Alexandro episcopo conditam ante medium saeculum III, et Caesariensis Origenis ac Pamphili Diocletianae cladis nescio quo modo expertes tranquillis ecclesiae temporibus servatae sunt <sup>4</sup>. Caesariensem Euzoius episcopus, vertente saeculo quarto, ne libri opinor papyracei deperirent, *in membranis instaurare conatus est* <sup>5</sup>.

Custodia sacrorum librorum lectoribus commissa indicat horum officium cum cura bibliothecae singularum ecclesiarum aliquo

<sup>1</sup> V. Acta martyrii Felicis episcopi ap. Ruinart, Acta sincera ed. Amstaelod. 1713 p. 355, 356.

<sup>2</sup> Acta martyrii ss. Agapae, Chioniae, Irenae ap. Ruinart, l. c. p. 394, 395.

<sup>3</sup> Augustini, Brev. collat. III, 18.

<sup>4</sup> Euseb. Hist. eccl. VI, 20, 32.

<sup>5</sup> Hieron. De vir. illustr. 113.

modo connexum olim fuisse. Id quod notandum est propter ea, quae capite quinto dicturi sumus de patre Damasi et de ipso Damaso lectoribus ecclesiae Romanae. Dum vexatio et edicta principum infesta urgebant, consultum prudenter est, ut sacri codices domi servandi lectoribus traderentur, bibliothecarum armaria *inania* fierent. Ordinaria autem lege libros in ipsis aedibus sacris earumque armariis et bibliothecis ad latera bema<sup>ti</sup>, id est tribunalis et cathedrae, servatos esse nobis persuadet huius modi dispositio bibliothecarum in basilicis saeculi quarti et quinti; quippe quarum prima et praecipua lineamenta a *conventiculis* Diocletiano antiquioribus et iussu eius dirutis videantur repetenda. Utrique lateri absidis et tribunalis basilicae adhaerebant cellae, vel ipsa absis erat *trichora*, id est triplici hemicyclo sinuata: altero loco supellex et sacra vasa, altero codices et bibliotheca continebantur <sup>1</sup>. Cuius rei, praeter notissima epigrammata Paulini Nolani <sup>2</sup>, testimonium praebent *versus* inscripti saeculo fere quinto *tribunali* basilicae, ut videtur, Hispalensis, servati in antiqua sylloge epigraphica Hispana, quam propediem editurus sum (inscriptionum Christianarum tomo II p. 292-297).

*Versus in tribunal*

(supra cathedram)

SPIRITVS HIC HOMINES CAELESTI DOGMATE COMPLET  
ADQVE PER OS HOMINVM SPIRITVS IPSE DOCET

<sup>1</sup> V. *Bull. di arch. crist.* 1876 p. 52.

<sup>2</sup> Epist. XXXII al. XII § 16.



(supra diaconicum, id est repositorium vasorum sacrorum)

SVB TERRORI DEI METVENTES ITE MINISTRI  
 QVI VASIS FERTIS MVNERA SANCTA SACRIS  
 SOLA MINISTERIIS VIA COMPETIT ISTA SVPERNIS  
 DVM POPVLOS SACRIS SEGREGAT IPSA CHORIS

(supra bibliothecam)

QVI MEDITARI VIS LAVDES ET CANTICA CHRISTI  
 HIC PROMPTOS ANIMOS SVBDE BONIS STVDIIS <sup>1</sup>  
 HIC TIMOR HIC DOCTRINA DATVR HIC CORDA DOCENTVR  
 HIC VIGET INDE BONVM HIC RVIT INDE MALVM <sup>2</sup>.

## CAPUT II.

### De scrinio ecclesiae Romanae ab originibus ad tempora Diocletiani.

Praeter codices sacros, publicae potissimum lectioni adhibendos, praeter opera patrum et doctorum, chartae quam plurimae rerum pertinentium ad administrationem ecclesiarum, acta, epistolae, quemadmodum salutariae, quarum supra mentio facta est, multiplicatis Christianorum numero et opibus, valde multiplica-

<sup>1</sup> Cf. distichum Paulini (l. c.): *Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas* etc.

<sup>2</sup> Lemmata uncis inclusa, quae indicant quibus *tribunalis* partibus singula epigrammata adtribuenda sint, ego adscripsi.

bantur. Quare necesse erat, ut maiores saltem ecclesiae, potissimum vero Romana, scrinium haberent a bibliotheca separatim vel cum ea coniunctum. Quod eius certe diaconi curae debuit committi, qui tanquam episcopi vices agens eiusque auctoritate clerum et plebem regens arcam administrabat, alimenta clericis, *confessoribus*, pauperibus inscriptis *matriculae* distribuebat, denique corporis Christianorum veluti actor et syndicus habebatur et re vera erat <sup>1</sup>. Scriptorii, in quo *recondebantur* acta ecclesiae Romanae et sedis apostolicae, primam mentionem Caietanus Marinius <sup>2</sup> aliique agnoverunt in Libro pontificali vita Anterotis; cuius genuina verba rustica latinitate expressa ad fidem codicum antiquiorum haec sunt: *Hic gestas martyrum diligenter a notariis exquisivit et in ecclesia recondit, propter quodam Maximino presbytero, (qui) martyrio coronatus est* <sup>3</sup>. Obscuritas verborum inde oritur, quod auctor alludit ad quemdam *Maximinum* (vel Maximum) *presbyterum martyrem*, cuius acta illi nota nos latent; eiusque martyrii occasione Anteros dicitur gesta martyrum diligenter exquisisse, in ecclesia (id est scrinio eius) *recondenda*. Notitiam huius martyris et eorum, quae Maximino Aug. Christianos vexante Romae gesta sunt, auctor *Libri pontificalis* hausit e fonte antiquo, quem spernere haud licet <sup>4</sup>. Idem

<sup>1</sup> V. *Bull. d'arch. crist.* 1866 p. 8 et seqq., 20 et seqq.

<sup>2</sup> *Mem. istoriche degli archivi della s. Sede* p. 5.

<sup>3</sup> Lib. pont. ed. Duchesne I p. 147; cf. p. XCV. Praeunte Borghesio, *Oeuvres* V p. 492, proposui emendandum: *propter quod a Maximo praefecto martyrio coronatus est* (*Roma sott.* II p. 182). Ludovicus vero Duchesne demonstravit lectionem, quam ex editione eius supra recitavi, antiquiorum codicum testimonio ita stabilitam esse, ut mutari nequeat (cf. Borghesi, *Oeuvres* IX p. 366); ac praesertim *praefectum* in locum *presbyteri* substitui minime posse.

<sup>4</sup> Cf. Duchesne, l. c. p. XCV, XCVI.

auctor parem curam de gestis martyrum per notarios colligendis Fabiano successori Anterotis adtribuit; addens regiones a Fabiano divisas esse diaconibus, et septem subdiaconos institutos, qui totidem *notariis imminerent* <sup>1</sup>. Regiones a Fabiano definitas et (septem) diaconis adtributas cum coemeteriorum cura coniunxit auctor sincerissimus, qui medio fere saeculo tertio breve chronicon adiecit fastis pontificum Romanorum deinde continuatis ad annum 354 <sup>2</sup>. Huius verba scriptor Libri pontificalis saeculo sexto interpolavit, inserens mentionem subdiaconorum notariorumque, quam modo commemoravi, unde sumptam nescimus. Quidquid *gestorum* martyrum a notariis ecclesiae collectum Romae sit, sive iussu Anterotis et Fabiani sive postea usque ad Diocletianum <sup>3</sup>, id fere totum amissum. Ne epistolae quidem encyclicae supersunt, quas clerici Romani de pontificibus illustri martyrio functis scripsere; quarum alteram (de Fabiano) Carthagine acceptam testatur Cyprianus, alteram (de Xysto II) ex eiusdem Cypriani verbis parem in modum missam et in Africa vulgatam esse coniiicio <sup>4</sup>. Gesta martyrum Romanorum, quae ad nos pervenere, vix paucis exceptis, scripta sunt vel retractata post pacem ecclesiae datam a Constantino. Notissimum decretum Gelasio adtributum *de libris recipiendis et non recipiendis* testatur *gesta martyrum singulari cautela in ecclesia Romana publice non legi*, quod incertis auctoribus vulgata essent neque in omni-

<sup>1</sup> Lib. pont. ed. cit. I p. 148.

<sup>2</sup> V. *Roma sott.* I p. 117, 199; III p. 515 et seqq.

<sup>3</sup> De cura veterum Christianorum, ut acta martyrum a notariis iudicum excepta pretio redimerent, v. Le Blant, *Les actes des martyrs* p. 9, 10; cf. Duchesne, Lib. pont. I p. C, CI.

<sup>4</sup> Cypriani ep. 9 et 80.

bus probata <sup>1</sup>; Gregorius Magnus Eulogio Alexandrino ea petenti respondit se Romae non nisi pauca reperisse *uno in volumine collecta* <sup>2</sup>; Gregorius Turonensis monet *multorum martyrum*, quorum sepulcra Romae celeberrima erant; *historias passionum nobis integras non esse delatas* <sup>3</sup>. Quam iacturam *historiarum integrarum*, id est quae descriptae essent ad fidem exemplarium antiquiorum, Baronius <sup>4</sup> et cum eo fere omnes edictis Diocletiani censent impu- tandam.

Praeter haec de actis martyrum *in ecclesia reconditis* passim laudata et nunc accuratius expensa, de scrinio sedis apostolicae ante Constantinum nihil solet proferri. Neque tamen desunt indi- cia, quae argumentum densis tenebris obsitum aliqua luce col- lustrent. Ut rem ordine exponam, tria praecipua capita attingam: epistolas Roma vel Romam missas et cuiuscumque generis docu- menta rerum ad acta sedis apostolicae pertinentium: rationes arcae ecclesiae: gesta iudicialia.

De eo, quod caput esse debuit scriniorum sedis apostolicae, id est de epistolis pontificum Romanorum relatis in tabulas et acta, quae postea *regesta* dicta sunt, ante saeculum quidem quartum nihil aperte est memoriae traditum. Sed quum demonstraturus sim archi- va ecclesiae Romanae saeculo quarto videri restituta esse et amplifi- cata eodem fere loco, quo fuerant ante Diocletianum, neque valde dis- simili ministerio exceptorum atque lectorum procurata, quidquid

<sup>1</sup> Thiel, Epist. Rom. pont. a S. Hilario ad Pelagium II p. 458, 459.

<sup>2</sup> Epist. VIII, 29 ed. Maurin. (al. VII, 29).

<sup>3</sup> De gloria martyrum c. 39 (ed. Krusch in Mon. hist. Germ. - Script. rer. Merov. I p. 513).

<sup>4</sup> Praef. ad martyrol. Rom. c. 3.

haec de re pacatis temporibus stabilitum est, a superioris aetatis institutis aliquo modo pendere veri simile iudico. Sane singulas ecclesias, maxime vero Romanam propriae auctoritatis tuendae sollicitam, ad instar civilis rei publicae et municipiorum, eodemque fere iure et ordine, quo corpora et collegia, negotia administrasse ideoque et gestorum seriem custodire debuisse, quo propius in Christianas origines et antiquitates inquiritur, eo clarius perspicitur<sup>1</sup>. Itaque ipsa nunc *regesta* epistolarum pontificum Romanorum docti existimant mature fieri coepta ad exemplum commentariorum, quae in *scriniis memoriae* domus Augustae conficiebantur in sanctiori tabulario Caesaris custodienda<sup>2</sup>. Mox exponemus saeculo quinto et deinceps in *chartario ecclesiae Romanae*, praeter epistolas pontificum, actis indi consuevisse et in annales ordinari litteras Romam missas et gesta pertinentia ad negotia ecclesiarum et eorum, qui sive iudiciali appellatione ad sedem apostolicam provocassent, sive eidem suspectae fidei rationem reddidissent. Quod Gennadius refert de Bachiario philosopho Christiano, eum oblato libello de fide *satisfecisse pontifici Urbis adversus querulos et infamatores peregrinationis suae*<sup>3</sup>, id a primis inde saeculis plurimi fecere; eorumque chirographa iam tum caute esse servata expresso Tertul-

<sup>1</sup> *Bull. di arch. crist.* l. c.; *Roma sott.* III p. 511 et seqq.

<sup>2</sup> Vide Breslau, *Die Commentarii der röm. Kaiser und die Registerbücher der Päpste* (in *Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte - Röm. Abtheil.* VI, 1885 p. 242-260); Löwenfeld, *Geschichte des päpstlichen Archivs in Historischen Taschenbuch*, Leipzig 1886 p. 308.

<sup>3</sup> Gennad. post Hieron. De vir. ill. c. 25. Bachiarii librum edidit Muratorius, *Anecd. ex codd. Ambros.* II p. 13 et seqq. Auctor profitetur se idcirco *pontifici Urbis*, ut ait Gennadius, *satisfacere*, quod is esset « *artifex regulae fidei* » (Muratorius, l. c. p. 14).

liani testimonio discimus. Is enim disputans adversus doctorem profectum ex Asia suspectumque doctrinae haereticae Noetianae, narrat eum scripto *cavisse de emendatione sua, et manere chirographum apud Psychicos*, i. e. Catholicos, *apud quos gesta res est*<sup>1</sup>. Haec autem gesta esse Romae et doctorem *de emendatione sua cavisse* iussu tunc sedentis Zephyrini, collatis quae narrat auctor librorum Philosophumenon, liquido demonstratur<sup>2</sup>. Quare *chirographum emendationis, quod manebat apud Psychicos*, repositum erat in scrinio ecclesiae Romanae. Neque secus paullo post actum est cum Origene; qui *pro inconsiderate dictis paenituit, libello paenitentiae ad Fabianum tunc Urbis Romae episcopum dato*<sup>3</sup>. Huiusmodi *chirographa et libellos* in scrinio ecclesiae servari diligenter debuisse manifestum est; neque eam curam esse neglectam, recitata Tertulliani verba testantur. Itaque multo ante saeculum quartum in eo scrinio et tabulario servari coepta sunt acta controversiarum et iudiciorum, quae de Christiana doctrina et disciplina Romae agitata sunt et definita. Horum pauca, quae supersunt, ab epistola Clementis ad Corinthios exeunte saeculo primo usque ad pacem ecclesiae datam a Constantino et Miltiadem cum concilio episcoporum honorifice receptum *in domum Faustae in Laterano*<sup>4</sup>, non a scrinio ecclesiae Romanae, sed a codicibus bibliothecarum Orientis, Aegypti,

<sup>1</sup> Adversus Praxeam c. 1.

<sup>2</sup> *Bull. di arch. crist.* 1866 p. 68-72, 80 et seqq. Cf. Hagemann, *Die Röm. Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten*, Freiburg im Br. 1864 p. 145.

<sup>3</sup> Rufinus, *Invectiva in Hieron.* I, 44: Hieron. Ep. 84 ad Pammach. et Oceanum c. 10: *Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romanae urbis episcopum, paenitentiam agit, cur talia scripserit*: cf. Euseb. Hist. eccl. VI, 36.

<sup>4</sup> Concil. ed. Mansi II p. 463.

Africae ad nos pervenere <sup>1</sup>. Ne coniecturis quidem assequi datum est, quo tempore tabulae et gesta ecclesiae Romanae stabili lege vel more ordinari coepta sint; quae ante edicta Diocletiani, eorum vices et damna fuerint.

De rationibus arcae ecclesiae, haud multis transigam. Eas Tertullianus exacte describit verbis notissimis, quorum summa haec est: *arcae . . . modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit et si modo velit et possit apponit: . . . haec quasi deposita pietatis sunt, nam inde . . . dispensatur egenis alendis humanisque . . . et (iis), qui in metallis, in insulis vel in custodiis . . . alumni confessionis suae fiunt* <sup>2</sup>. Medio saeculo tertio clerici et egeni ab ecclesia alti Romae numerabantur plus quam mille quingenti <sup>3</sup>. Tam grandis procuratio requirebat, ut nomina eorum, quibus alimenta vel pensiones praebebantur, quemadmodum civium qui frumentum publicum accipiebant, albo essent inscripta, et tabulae rationum accepti et expensi exacte conficerentur. Quare auctor martyrii s. Clementis, cuius verba supra citavi, haud multum abludivit a vero dicens nomina pauperum iam tum Romae regionatim esse descripta. *Matriculae clericorum et pauperum* in actis conciliorum et patrum sequenti aetate saepe memoratae <sup>4</sup>, et polyptycha menstruae stipis, censuum, redituum a multa antiquitate necessario extitere. In scrinio ecclesiae Romanae, exeunte saeculo quinto, quo tempore eius patrimonia erant amplissima, polyptychum ordinavit Gelasius; ex cuius forma Gregorius Magnus constituit quae pensio-

<sup>1</sup> Vide Pitra, *Analecta novissima* I p. 14.

<sup>2</sup> *Apolog.* c. 39.

<sup>3</sup> Euseb. *Hist. eccl.* VI, 43.

<sup>4</sup> V. Du Cange, *Gloss. med. latin. v. Matricula, Matricularii.*

nes deberentur « *omnibus ordinibus ecclesiasticis vel palatinis, monasteriis, ecclesiis, coemeteriis, diaconis, xenodochiis urbanis vel suburbanis* ». Gregoriani polyptychi usus durabat aetate Ioannis diaconi saeculo nono <sup>1</sup>. Qui praeterea scripsit: « *Extat usque hodie, in sacratissimo Lateranensis palatii scrinio, huius (Gregorii) confectum temporibus chartaceum praegrande volumen, in quo communis sexus cunctarum aetatum ac professionum nomina tam Romae quam per suburbana civitatesque vicinas, necnon longinquas maritimas urbes degentium, cum suis cognominibus, temporibus et remunerationibus continentur* » <sup>2</sup>. Haec non saeculo primum sexto labente, sed olim instituta, totidem fere verbis dici potuerunt de tabulis rationum ecclesiae Romanae ante pacem Constantinianam. Celeberrima est epistola, qua Dionysius episcopus Corinthi gratias agens Soteri et ecclesiae Romanae de pecuniis et beneficiis collatis in fratres Marco Aurelio imperante damnatos ad metalla, praedicat id factum esse more ab ipso religionis exordio Romanis sueto et a patribus tradito, a Sotere vero generosius aucto; et *fratres omnes ecclesiasque quamplurimas* hac largitate et subsidiis ab Urbe missis semper esse sublevatas <sup>3</sup>. Porro ab auctore Philosophumenon discimus Victorem, Soteris post Eleutherium in Romana sede successorem, nomina *martyrum* damnatorum ad metalla insulae Sardiniae Marciae Commodi concubinae petenti exhibuisse <sup>4</sup>; eaque idcirco in ecclesiae *matriculis* descripta esse constat. Plura de hoc argumento

<sup>1</sup> Ioannis diac., Vita s. Greg. Magni II, 24.

<sup>2</sup> L. c. c. 30.

<sup>3</sup> Euseb. l. c. IV, 23.

<sup>4</sup> Philosophum. IX, 11: cf. *Bull. crist.* 1866 p. 6, 7; 1868 p. 18; Aubé in *Revue arch.* Mars 1879 p. 161.



praetereo, quae alio loco composui <sup>1</sup>. Satis sit meminisse litterarum, quas Roma miserunt Stephanus ad Syros et Arabes iis necessaria suppeditans <sup>2</sup>; Dionysius ad Cappadoces, ut captivi fratres redimerentur (quae epistola adhuc legebatur aetate Damasi in ecclesia Caesareae) <sup>3</sup>; et verborum Eusebii testantis, Diocletiano imperante, liberalitatem ecclesiae Romanae erga fratres universos pro nomine Christi aerumnis confectos insignem in modum emicuisse <sup>4</sup>. Itaque procuratio arcae urbanae Christianae ad curam ecclesiarum orbis universi ita pertinebat, ut primis a Christo saeculis multo magis quam aetate Gregorii Magni epistolae pontificum et tabulae polyptychae accepti et expensi intimo essent nexu coniunctae.

Denique de gestis iudicialibus paucis dicendum. Apostoli quidem et eorum successores episcopi inde ab exordio christianitatis iudicarunt de negotiis quoque civilibus et de actione iniuriarum inter fideles, praesertim clericos, eorum sententiam invocantes <sup>5</sup>: qua in potestate exercenda diaconis assessoribus vel iudicibus delegatis usi sunt. Commodianus enim *Ministris*, quos in carmine appellat *Zacones* (diaconos), inculcat:

« Nolite ludere personam iudicis aequi <sup>6</sup> ».

<sup>1</sup> V. *Bull. crist.* 1868 p. 19-22.

<sup>2</sup> Euseb. VII, 5; cf. Vales. ad l. c.

<sup>3</sup> Basilii ep. 70; Coustant, *Epist. Rom. pont.* p. 478; cf. p. 291.

<sup>4</sup> Euseb. l. c. IV, 23.

<sup>5</sup> Paulus I ad Corinth. VI, 1-6; *Constit. apost.* II, 45 (ed. Pitra, *Iuris eccl. Graec.* I p. 195, 706 et seqq.). Testimonia patrum hac de re multi recensuerunt, quorum nuperrimus plenissime Fr. Chamard in *Revue des quest. hist.* Oct. 1877 p. 433 et seqq.

<sup>6</sup> *Instruct.* II, 27, ed. Ludwig Lipsiae 1878 I p. 46

Quamquam dubitari nequit, quin Romae quoque coram tribunali episcopi plurima omnis generis negotia tractata sint et definita, ac proinde maxima copia gestorum ad ea pertinentium in sacro scrinio congesta sit, hac tamen de re ante saeculum quartum urbana documenta desiderantur. Ludovicus Duchesne iure opinatur <sup>1</sup> notarios, quos auctor Libri pontificalis saeculo sexto exhibuit tanquam actis tantum modo martyrum colligendis institutos, sacro tribunali inserviisse exceptorum officio fungentes, gesta conficientes <sup>2</sup>.

In singulis praeterea coemeteriis videntur fuisse stationes, in quibus conficiebantur custodiebanturque chirographa de iuribus sepulcrorum <sup>3</sup>. Haec omnia, confiscatis edicto Diocletiani ecclesiae rebus et coemeteriis, eodem turbine dispersa sunt et absumpta.

### CAPUT III.

#### De scrinio ecclesiae Romanae legibusque et ministris ei datis aetate Constantiniana.

Pace et iuribus ecclesiae redditis ac stabilitis, legibusque pro ea latis a Constantino Augusto, privilegia episcoporum publica au-

<sup>1</sup> Lib. pont. I p. C, CI.

<sup>2</sup> De exceptoribus magistratuum civilium v. Le Blant, l. c. p. 9, 10; et *ordinem salutationis* lapidi incisum Thamugade in Africa (Mommsen, Eph. ep. V p. 632, 640, 642). De exceptoribus clericis, praesertim ecclesiae Romanae, dicam capite sequenti.

<sup>3</sup> V. *Roma sott.* III p. 545.

toritate constitui coepta sunt; ita ut his scrinii sacri non tam restituendi, quam de integro condendi cura statim incumberet. Constantinus enim sanxit, ut servi, qui a dominis *in ecclesia* coram sacerdotibus iisque testibus libertate donati essent, Romanam illico civitatem adipiscerentur <sup>1</sup>. Ritus manumissionis *in ecclesia* celebrandae tradit Augustinus <sup>2</sup>; formulam Ennodius, qua *gestis ecclesiasticis* servus *ex omni obnoxietate solvendus* pronuntiatur <sup>3</sup>. His legibus, formulis et ecclesiae tempori convenit decretum Iulii (a. 337-352), relatum in recensione altera Libri pontificalis, *de manumissionibus celebrandis in ecclesia per scrinium sanctum*, et de *cautionibus, instrumentis, testamentis* in eodem scrinio conficiendis et asservandis <sup>4</sup>. Ex hoc decreto legitimam constitutionem archivi ecclesiae Romanae repetunt Cennius, Gallettus, alii, quibus et Caietanus Marinius videtur adstipulari <sup>5</sup>. *Chartae* quidem donationum et *paginae* testamentorum exhibendae et *allegandae* erant *actis municipalibus*, ut bona data legata ecclesiis fide publica tuta essent; cuius exhibitionis specimen authenticum servat papyrus tabularii ecclesiae Ravennatis scriptus a. 491 <sup>6</sup>. In Romanorum quoque pon-

<sup>1</sup> Sozomen. Hist. eccl. I, 9: Cod. Theod. IV, 7, 1 (ibi Gothofred.); Just. I, 13, 1, 2.

<sup>2</sup> Serm. XXI (Migne XXXVIII p. 135).

<sup>3</sup> Opusc. VIII (Sirmondi, Opp. ed. Venetae I p. 1041): cf. de Rozière, *Recueil de formules* I p. 85; Fournier, *Essai sur les formes et les effets de l'affranchissement dans le droit Gallo-Romain* in *Bibl. de l'école des hautes études* LX p. 79 et seqq.

<sup>4</sup> Lib. pont. ed. Duchesne I p. 205.

<sup>5</sup> Cenni, *Dissertazioni* I p. LXXV; Galletti, *Del primicerio della sede apostolica* p. 3, 4; Marini, *Mem. storiche degli archivi etc.* p. 6.

<sup>6</sup> Marini, *Papiri* p. 130 n. LXXXIV.

tificum rescriptis diu servata formula est, qua cautum erat ne omittetur sollemnitatis donationum « acceptandarum, gestis municipalibus allegatis » <sup>1</sup>. Quare nil impediabat, quo minus decretum Iulii de actibus conficiendis asservandisque in *scrinio sancto* conciliaretur cum iure civili et legibus pragmaticis : et iniuria illud tanquam spurium mihi videntur reiecisse Coustantius, Blumius, alii <sup>2</sup>. Quamquam potuit auctor alterius recensione Libri pontificalis summam *constituti* rettulisse verbis convenientibus seriori potius aetati, quam Constantinianae.

Iulius igitur, secundum ea verba, sanxit: « *ut notitia, quae omnibus pro fide ecclesiastica est, per notarios colligeretur, et omnia monumenta (emendandum: omnium munimentorum) in ecclesia per primicerium notariorum confectio* » celebraretur <sup>3</sup>. Notarii regionarii saeculo quinto fuerunt in ecclesia Romana viri magnae dignitatis, ita ut mitterentur a latere pontificis legati ad episcopos et concilia <sup>4</sup>: utrum antiquiore aetate pari gradu honoris et muneris potiti necne sint, dubito. Saeculo ineunte quarto in ecclesiae Romanae monumentis commemorantur notarii *exceptores*; ad id ministerium plerumque adsumpti ab adolescentia, ut dictis celeriter excipiendis notisque

<sup>1</sup> Pelagii I epist. in Holstenii, Collect. Rom. I p. 234; Concil. ed. Mansi IX p. 734 ex Deusdedit, Coll. can. III c. 107. Eadem formula redit in epistolis Gregorii Magni ed. Maurin. II, 5, 12; IX, 70, 83; XII, 11.

<sup>2</sup> Coustant, Epist. Rom. pont. p. 419: Blume, Iter ital. IV p. 265.

<sup>3</sup> Lib. pont. l. c. De *munimentis* a verbo *munire* (non *monumentis* a *monere*) in *scrinio* custodiendis sermo infra redibit.

<sup>4</sup> Bonifatius I a. 422 *Severum apostolicae sedis notarium de (suo) proprio latere* misit legatum ad Rufum episcopum Thessalonicensem (Coustant, l. c. p. 1036): Leo I Dulcitium notarium legavit ad synodum Chalcedonensem (Ep. 28 et 33).

exarandis adsuescerent, delectique ex ordine lectorum <sup>1</sup>. Lectores autem Romae non regionatim, quemadmodum notarii, distributi erant, sed singulis titulis (sacris aedibus) adscripti, ut publicae lectioni in sacris inservirent <sup>2</sup>. Nihilominus occurrit Heraclius lector regionis secundae defunctus a. 338, sedente Iulio pontifice <sup>3</sup>: qui nempe videtur fuisse ex ordine lectorum notarius regionis secundae. Auctor Libri pontificalis notarios iungit cum septem regionibus, quas dicimus *ecclesiasticas*: apocryphum *constitutum* Silvestri, confectum paullo ante Librum pontificalem, eos numerat XIII, scilicet totidem, quot regiones civiles <sup>4</sup>. Quocumque numero et iure notarii, sedente Iulio anno 338, regionatim censi fuerint, Heraclium lectorem regionis secundae in ordinem exceptorum sive notariorum *scrinii sancti* pro regione II adlectum esse existimo. Itaque Iulius scrinio, quod certe Miltiades et Silvester, statim ac pax reddita ecclesiae est, restituendum curaverant, leges dedit; fortasse et primicerium notariorum, qui ei praeeset, instituit <sup>5</sup>. Ab his primiceriis ordianda est series eorum, qui seriore aetate dicti sunt bibliothecarii sedis apostolicae.

<sup>1</sup> V. *Bull. crist.* 1883 p. 17 et seqq.; cf. Marini, *Papiri* p. 318. Sed Perizius (Damasus et Laurentius Hispanis asserti p. 31 et seqq. 169, 170) contendit ante Constantinum exceptores et lectores viros fuisse aetate maturos. Pueros tribunali vicarii Urbis Romae adstantes et dicta notis excipientes graphice exhibit diptychum non ita pridem editum a Meyero, *Zwei antike Elfenbeintafeln* tab. II.

<sup>2</sup> V. *Bull.* l. c. p. 20, 21.

<sup>3</sup> *Inscr. Christ.* I n. 48.

<sup>4</sup> V. Coustant, l. c. p. 43; Galletti, l. c. p. 2; Duchesne, l. c. I p. CXXXV.

<sup>5</sup> De primicerio notariorum sedis apostolicae data opera egit Gallettus, l. c.: cf. Cenni, *Dissert.* I p. 92; Marini, *Papiri* p. XXII; eiusdem *Mem. storiche degli archivi* p. 6.

Gallettus primicerios notariorum recensens nullum novit antiquiorem Surgentio, cui a Vigilio pontifice a. 544 traditus est liber Aratoris subdiaconi De actibus apostolorum *in scrinio ecclesiae collocandus*<sup>1</sup>: quare non tantum gestorum et chartarum, sed et quorumcumque librorum primicerio demandata cura est. Surgentium autem centum et amplius annis antecessit Laurentius (Galletto ignotus) *primicerius Romanae ecclesiae*, cui Augustinus inscripsit Enchiridion de fide, spe et charitate<sup>2</sup>. Ante Surgentium quoque fuit Bonifatius primicerius notariorum, qui iussu Ioannis I pontificis inquisivit quo die celebrandum esset pascha anni 526, eaque occasione protulit *de archivo Romanae ecclesiae* epistolam Pascasini episcopi Lilybetani missam ad Leonem Magnum a. 444<sup>3</sup>. Primicerium notariorum ad tantam dignitatem demum pervenisse, ut ei sede vacante una cum archipresbytero et archidiacono cura ecclesiae Romanae gubernandae, saeculo saltem septimo, incumberet, omnes norunt<sup>4</sup>. Quo gradu ad id culmen honoris adscenderit, equidem

<sup>1</sup> Galletti, l. c. p. 20, 21.

<sup>2</sup> Maurini in admonitione ad hunc librum Augustini notant appellationem dignitatis Laurentii in codicibus variare: *primicerius Romanae ecclesiae*, vel *Urbis Romanae*, vel *notariorum Urbis Romae*.

<sup>3</sup> V. epistolam Dionysii Exigui ad Bonifatium primicerium notariorum et Bonum secundicerium editam a Bucherio, De doctrina temp. p. 489 (Migne, Patrol. Lat. LXVII p. 217). Bonus secundicerius a. 526 decennio anterior est Menate, quem omnium primum recensuit Gallettus, l. c. p. 90. De epistola Dionysii cf. Ianus, Hist. cycli Dionysiani p. 105; et Krusch, *Der 84 Jährige Ostercyclus* p. 247. Ipsius Bonifatii primicerii *suggestio ad Ioannem papam de ratione paschali* (a. 526) edita nuper est a Kruschio in *Neues Archiv* IX p. 109 et plenius a Pitra, Anal. novissima I p. 466, ubi Bonifatius errore codicum dicitur *Bonisanctus*. Eius genuinum nomen et tempus liquent ex citata epistola Dionysii.

<sup>4</sup> V. Galletti, l. c. p. 32.

nescio. Saeculo certe quarto et sedente Iulio, qui scrinio primicerium videtur praefecisse, diaconum res ecclesiae vicaria quodammodo potestate gerentem in scrinii quoque regimine primas tenuisse credendum est, eique notarios omnes cum primicerio paruisse.

Illa obscurior quaestio est, utrum notarii idem necne fuerint, atque scriniarii et chartularii sive chartarii. In Ravennatis certe ecclesiae papyris unus idemque notarius et scriniarius dicitur <sup>1</sup>. De notariis, scriniariis, chartariis, chartulariis, Caietanus Marinius docte, ut solet, disputat; rem autem ad liquidum non perducit <sup>2</sup>. Processu temporis eos, qui epistolas pontificum scribebant, dictos esse scriniarios nemo nescit. Qua de re censeo animadvertendum, scrinium et acta pontificum saeculis quarto et quinto fere ad exemplum scrinii et actorum senatus et praefecti urbis certe esse constituta. Actorum senatus hoc tempore insigne documentum praebent gesta promulgationis codicis Theodosiani a. 438 *edita a Flavio Laurentio exceptore senatus amplissimi* <sup>3</sup>; cuius esse epitaphium a me editum <sup>4</sup> *Laurentii scribae senatus* defuncti anno 451 vere vidit Mommsenus <sup>5</sup>. Unus ergo idemque fuit vel eodem tempore *exceptor* et *scriba*; vel prius *exceptor*, postea *scriba*. Vopiscus autem citat *regesta scribarum* <sup>6</sup>. In officio praefecti urbis recensentur hoc ordine: *cura*

<sup>1</sup> Marini, *Papiri* p. 130, 131.

<sup>2</sup> L. c. p. 219, 277.

<sup>3</sup> *Gesta pro recipiendo cod. Theod. editionis Haeneliana* p. 81\*-89\*.

<sup>4</sup> *Bull. crist.* 1869 p. 18.

<sup>5</sup> *Neues Archiv* X p. 584.

<sup>6</sup> *Hist. Aug. script. in vita Probi* c. 2 ed. sec. Peter p. 201: cf. Huebner, *De senatus populi Romani actis* p. 13; *Bull. crist.* 1874 p. 50.

*epistolarum, regerendarius, exceptores* <sup>1</sup>. Igitur exceptores, qui gesta notis excipiebant edebantque, videntur olim distincti fuisse a scribis et regerendariis, qui epistolas in regesta referebant. Iuniores, opinor, exceptorum munere functi sunt; iidem matura aetate fuere scribae, regerendarii, scriniarii. Gesta promulgationis codicis Theodosiani edita a *Fl. Laurentio exceptore senatus* conferenda sunt cum *exemplari gestorum de absolute Miseni*, cui subscriptum est: « *Sixtus notarius sanctae Romanae ecclesiae iussu domini mei beatissimi papae Gelasii ex scrinio edidi die III Idus Martii Flavio Viatore viro clarissimo consule* » (a. 495) <sup>2</sup>. Inde manifestum fit exceptores senatus et notarios ecclesiae Romanae eodem ritu, e suo unumquemque *scrinio, gesta edidisse*.

De ministris *scrinii sancti*, pro suscepti operis proposito, haec satis sunt.

#### CAPUT IV.

##### De bibliothecis sacris restitutis et de codicibus ecclesiae Romanae saeculo quarto.

Nunc de bibliothecis sacris post cladem Diocletianam restitutis, quatenus ea res ecclesiam Romanam attingit, dicendum. Constantinus non modo pacem ecclesiae dedit; quidquid fiscus occupaverat, reddidit; sed et ipsius fisci sumptibus basilicas ubique lo-

<sup>1</sup> Notitia dignit. Occid. IV, 27-29 ed. Seek p. 114. De scriniis urbanae praefecturae ad aedem Telluris v. Lanciani in *Bull. arch. com.* 1882 p. 162.

<sup>2</sup> Thiel, *Epist. Rom. pont.* p. 447.



corum extrui iussit, easque redivitibus et omni apparatu supellectilis sacrae effusa largitate dotavit <sup>1</sup>. Certatim cum principe sacras aedes extruere ac ditare aggressi sunt insignes opibus viri et feminae Christi fidem amplexi; praesertim vero antistites et sacerdotes. Magna harum largitatum pars, ut aequum erat, obtigit ecclesiae Romanae. Donationes a Constantino factae basilicis iussu eius aedificatis Romae, in civitatibus Urbi proximis, in Campania, prolixè recensentur in Libro pontificali, vita Silvestri. Quam recensionem sincerissimam esse, et excerptam e peculiari libello de liberalitatibus Constantini Augusti erga basilicas urbanas, suburbanas et maiores ecclesias civitatum provinciae Campaniae, Ludovicus Duchesne demonstravit ea doctrina ac perspicuitate, ut nullus dubitationi locus relictus sit <sup>2</sup>. Sacrorum vero codicum in harum donationum et pretiosae supellectilis censu nulla mentio fit. Neque idcirco dicendum aut nullos codices restitutae in integrum ditataeque ecclesiae Romanae tunc esse donatos; aut eorum in supellectile pretiosa, tanquam rei vilis, rationem habitam haud esse. Capite primo diximus de codicibus *pretiosis* occultatis, quum libri sacri comburerentur, et postquam pax affulsit ab improbis quandoque custodibus dolo malo subtractis. In charta anni 471, quae dicitur Cornutiana, quaeque est antiquissimum superstes exemplar donationis factae ab ipso conditore cuiusdam aedis sacrae, post praedia, supellectilem auream et argenteam, vestes et vela, recensentur libri sacri et liturgici <sup>3</sup>. Ne-

<sup>1</sup> V. Euseb. Vita Constantini, passim; praesertim I, 42; II, 45, 46; cf. *Bull. crist.* 1863 p. 51-53.

<sup>2</sup> Liber pont. I p. CXLIII et seqq.

<sup>3</sup> Bruzza, *Regesto della chiesa di Tivoli* p. 15-17; Duchesne, l. c. p. CCXLVI, CCXLVII.

que ea res singularis exempli est: nam in actis huius modi donationum lapidi quoque incisis diu viguit vetus mos recensendi libros tanquam rem pretiosam. In vitis autem pontificum ea pars donationum, quae respicit codices, brevitatis gratia ommissa semper est <sup>1</sup>. Quare silentium Libri pontificalis in vitis Silvestri, Marci et Iulii de codicibus sacris restitutis et de bibliothecis instructis indicio haud est tam necessariae rei curam tunc esse neglectam.

Tritissimae sunt epistolae Constantini ad Eusebium huiusque responsio de quinquaginta exemplaribus sacrorum librorum regio sumptu conficiendis in usum ecclesiae Constantinopolitanae <sup>2</sup>. Quis credat veterem Romam eiusque insignes basilicas et bibliothecam sedis apostolicae, imperante Constantino, diu caruisse libris non modo ad cultum et ad scientiam rerum divinarum necessariis, sed et splendide scriptis *in membranis purpureis auro argentoque uncialibus litteris?*: quibus tamen Hieronymus praefendas censuit *pau-peres schedulas et non tam pulchros codices quam emendatos* <sup>3</sup>. Huius modi *schedas emendatas* publicae quoque lectioni Constantiniana fere aetate in ecclesia Romana adhibitas esse innuit versus 12 elogii Liberii pontificis (*nullis arte dolis sceda fucata malignis*), quo loco laudantur eius adolescentia et *lectoris innocui aurea vita, officiumque purum legendi*, ut decuit, *scripturas* <sup>4</sup>. Codices Graecos, praesertim psalmodum et novi testamenti, Hieronymum Romae, instante Damaso, contulisse cum Latinis, notius est, quam ut nobis sit fuse prosequendum. In altero e conciliis Romanis, quibus Apol-

<sup>1</sup> Duchesne, l. c. p. CXLVIII.

<sup>2</sup> Euseb. Vita Const. IV, 36, 37.

<sup>3</sup> Hieron. praef. in Iob.

<sup>4</sup> Bull. crist. 1883 p. 8, 9.

linaristae a Damaso damnati sunt, prolatus est codex operum Athanasii; utrum e bibliotheca ecclesiae, an hominis privati, non liquet <sup>1</sup>. Ceterum nullus codex exaratus saeculo quarto vel quinto e bibliothecis ecclesiae Romanae ad nos usque pervenit.

Haud sum ignarus viros doctissimos in eam nunc sententiam descendere, originem codicis Graeci Vaticani pervetusti bibliorum sacrorum, quam plerique Alexandrinam putabant, quaerendam esse Romae vel in Italia inferiore <sup>2</sup>. Id illis potissimum persuadet indoles et recensio textus Graeci; qua de re meum non est disputare <sup>3</sup>. Hoc unum significabo, tanti pretii codicem medio aevo non latuisse in angulis bibliothecae sedis apostolicae; sed inclinato iam saeculo XV, quo tempore rariores libri undique conquirebantur, pervenisse in Vaticanam. Vercellonius, quum de ingressu huius codicis in pluteos Vaticanos attente inquisisset, ex indice confecto a Bartholomaeo Platina (cod. Vat. 3947) didicit eum « inter Vaticanos adnumeratum fuisse ab ipsis primordiis hodiernae bibliothecae » a. 1475. Sed utrum ex antiquiore bibliotheca

<sup>1</sup> Hier. in Rufinum II, 20; cf. Merenda, Damasi Opp. Proleg. XXI, 2.

<sup>2</sup> Ceriani, Monum. sacra et profana III p. XXI; Westcott et Hort, *The New Test. in the original Greek*, Cambridge 1881 p. 267; iterum Ceriani in *Rendiconti del Reale Istituto Lombardo 18 Febr. 1886* p. 212, 213.

<sup>3</sup> Carolus Vercellone, quum in pristina sententia de origine codicis Alexandrina permaneret, quae eo petente scripseram de monogrammate Christi prima manu non semel appicto vindicavit ab obiectis Ceriani v. c. (*Diss. accademiche di vario argomento*, Roma 1864 p. 421-26). Opinionis, ne dicam demonstrationis, meae summa haec erat: monogramma Christi non semel expressum nota cruciformi, nunquam vero decussata Constantiniana, indicio esse aut codicis patriam quaerendam in Oriente vel Aegypto, quibus regionibus monogrammatibus cruciformis usus mature praevaluit; aut eius tempus saeculo potius quinto vel exeunti quarto, quam aetati Constantinianae adtribuendum.

pontificia, an aliunde in novam a Xysto IV conditam codex translatus esset, cum Angelo Maio se ignorare fassus est <sup>1</sup>. Nunc excussis indicibus bibliothecae pontificiae Nicolai V, Eugenii IV, Urbani V, Ioannis XXII, Bonifatii VIII, praesertim vero indice locupletissimo, quem Urbanus V Avenione confici iussit, huius Graeci codicis vestigium nullum repertum est in bibliotheca sedis apostolicae toto saeculo XIV et vertente XV ante annum 1475. Id quod manifesto indicio est, codicem neque ante inclinatum saeculum XV investum esse in bibliothecam Vaticanam, neque tanquam vernaculum domus pontificiae in scriniis eius diu delituisse. Praeterea notae adscriptae marginibus actuum apostolorum, quae indicant pericopas lectionum liturgicarum certis diebus adsignatas, appictaeque videntur manu saeculi fere sexti vel septimi <sup>2</sup>, ecclesiae Romanae nulli prorsus usui fuere. Quod si fingamus has notas adscribi coeptas a monachis Graecis Romae degentibus, hac coniectura opinio de origine Romana codicis parum proficiet. In Graecorum enim coenobiis Romae constitutis, quum Byzantini rerum potirentur, liturgicae lectioni adhibebantur libri ritus Constantinopolitani; quem semper retinere Italo-Graeci omnes sive monachi sive clerici. Denique notissimum est partes codicis, quae perierunt, suppletas esse litteris Graecis minusculis exeunte saeculo XIV vel ineunte XV, a Graeco certe antiquario ante quam liber Romam perveniret; eiusque supplementi palaeographia Graeca videtur Byzantina potius quam Italo-Graeca. Ioseph Cozza, alter e nuperrimis editoribus codicis, nunc vices agens bibliothecarii sedis apostoli-

<sup>1</sup> L. c. p. 408.

<sup>2</sup> V. Fabiani, Prolegomena ad tomum VI Codicis Graeci Vaticani ss. bibliorum editi collatis studiis C. Vercellone, I. Cozza, H. Fabiani, Romae 1881.

cae, cuius ductu totam rem examinavi, opinatur tum supplementa tum litteras evanidas superinducto atramento instauratas deberi Clementi monacho. Huius nomen Κλήμης μοναχός, semel iterumque adscriptum, nemo ante Cozzam notaverat. Qui Clemens monachus, sive Graecus Byzantinus fuerit sive Italo-Graecus, manifeste indicat codicem in nescio quo Graecorum coenobio esse servatum. Itaque notae externae et historicae nullae extant, quae significant hunc celeberrimum *pandectem* Graecum sacrorum bibliorum fuisse vernaculum ecclesiae Romanae.

## CAPUT V.

### De archivo a Damaso extracto una cum aede Laurentio martyri dedicata ad theatrum Pompeii.

Damasus condidit Romae iuxta theatrum Pompeii aedem Laurentio martyri sacram, cuius operis et dedicationis, praeter testimonia veterum <sup>1</sup> et nomen conditoris loco inditum neque unquam oblitteratum, insignia monumenta servant antiquae syllogae epigrammatum urbanorum. In *throno*, id est hemicyclo absidis, saeculo fere octavo legebatur <sup>2</sup>:

<sup>1</sup> Lib. pont. in Damaso ed. Duchesne I p. 213; Gregorius M. Dialog. IV, 32; Hadrianus I epist. ad Carolum Magnum de sacris imaginibus (Concil. ed. Mansi XIII p. 801).

<sup>2</sup> Servavit unus codex Viridunensis (v. Inscr. Christ. II p. 143, 1).

HAEC DAMASVS TIBI CHRISTE DEVS NOVA TECTA DICAVI  
 LAURENTI SAEPTVS MARTYRIS AVXILIO

In *introitu* vero *ipsius ecclesiae* prostabat carmen, quod pluries licet editum <sup>1</sup> hoc loco exhiberi et attente perpendi necesse est.

HINC PATER EXCEPTOR LECTOR LEVITA SACERDOS  
 CREVERAT HINC MERITIS QVONIAM MELIORIBVS ACTIS  
 HINC MIHI PROVECTO CHRISTVS CVI SVMMA POTESTAS  
 SEDIS APOSTOLICAE VOLVIT CONCEDERE HONOREM  
 ARCHIBIS FATEOR VOLVI NOVA CONDERE TECTA  
 ADDERE PRAETEREA DEXTRA LAEVAQVE COLVMNAS  
 QVAE DAMASI TENEANT PROPRIVM PER SAECVLA NOMEN

Lectio manifesta versus 5 et eius plana interpretatio variis modis exagitatae sunt et obscuratae; ita ut nemo intellexerit hoc epigrammate fieri mentionem archivi ecclesiae Romanae, eiusque situm indicari longe a Laterano, ubi *scrinium sanctum* inde a Constantiniana aetate constitutum esse omnes praesumunt. Sarazanius aliique pro certo habent aedem Laurentio sacram extitisse multo ante Damasum; eo quod eius pater « *inibi fuerit clericus, diaconus, sacerdos* » <sup>2</sup>: tanquam fieri saeculo quarto potuerit, ut eius-

<sup>1</sup> Servarunt codices Vat. Palat. 833 (unde Gruterus 1164, 11, aliique plurimi); et Viridunensis f. 212, de quo Inscr. Christ. I p. IX\*, X\* (v. Inscr. Christ. II p. 135, 7; 151, 23).

<sup>2</sup> Sarazan. Damasi opp. ad carm. XVIII ed. Rom. p. 86. In codice Viridunensi legitur *puer* pro *pater*; quae lectio egregie convenit iis, quae sequuntur

dem aedis et tituli urbani aliquis fuerit primo diaconus, deinde sacerdos (presbyter). Praeterea vocabulum *archivis* Sarazanius sumit pro *novo templo* a Damaso *exaedificato*; eademque interpretatio renovata nuper est <sup>1</sup>. Merenda mutavit *archibis* in *arcubus his*; nulla prorsus de causa, neque sensu concinno <sup>2</sup>. *Archibum* (archivum) vox est, cuius obvia significatio in iure civili et canonico notissima et sollemnis erat; neque eo vocabulo scriptores Christiani Damasi aequales et eius aetati proximi usi sunt designandis aedibus sacris <sup>3</sup>. Praeterea carmen incipit: *Hinc pater exceptor, lector*: porro consentaneum esse, ut *exceptor lector* ex archivis ad maiores honores promotus credatur, persuadent ea, quae supra exposui de lectoribus et exceptoribus. Itaque adverbium *hinc* non refertur ad aedem sacram Laurentio martyri, quam ante Damasum extitisse nullo argumento probatur, sed ad *archiva*. Inde Damasi pater, functus munere exceptoris ex ordine lectorum, prodiit *levita* (neque *archivi* fortasse curam diaconus deseruit), denique *sacerdos*. Par et ipsi Damaso cursus honorum, opinor, fuit. Laconica enim brevitate Damasus dicit: *hinc mihi provecto*, nempe ut intelligamus *hinc* (ex *archivis*) eum ad instar patris exceptorem, lectorem, diaconum ad sacerdotium, immo ad sedem apostolicam, esse *provectum*. Constat autem Damasum a puero adlectum esse inter lectores eccle-

*exceptor lector*; neque enim rara est in antiquis monumentis scriptisque mentio *puerorum exceptorum et lectorum*. Qua lectione recepta, initium carminis interpretandum esset de ipso Damaso, minime vero de patre eius. Obstat autem versus 2: quare non *puer*, sed *pater* legendum.

<sup>1</sup> Rade, *Damasus Bischof von Rom* p. 158.

<sup>2</sup> Merenda, *Damasi opp.* ed. Rom. p. 245.

<sup>3</sup> V. De Vit, *Lexicon tot. Latin. v. Archium, Archivum*; Du Cange, *Gloss. med. Latin. v. Archivum*.

siae Romanae <sup>1</sup>. Neque diffiteor vocabulum *provecto* intelligi posse de aetate : totus tamen contextus et versus sibi mutuo respondentibus *Hinc pater exceptor, Hinc mihi provecto* meae videntur interpretationi favere. Quae si vera est, eodem loco, quo Damasus *condidit nova tecta archivis*, ea iam extiterunt inde fere ab adolescentia patris eius, id est ante saeculum quartum. Sin minus, cogitandum erit cum Ludovico Duchesne de domo paterna Damasi ab eo archivis destinata <sup>2</sup>. Haec autem interpretatio duplici ex capite videtur sensui epigrammatis parum accommodata; tum quod dissolvat nexum veri simillimum inter prima carminis verba (*Hinc pater exceptor*) et *nova tecta condita archivis*; tum quod Damasum inducat dicentem, patrem et se ipsum e domo privata (*hinc*) per gradus promotos esse ad sacerdotium et summos in ecclesia honores. Quae dicendi ratio aptius convenit in locum iuris ecclesiae, ubi iuniores in clerum adlecti prima sacrae militiae munia obierint, quam in domum privatam. Igitur, ut concludamus, valde probabile est archivum ante Damasum, ante *scrinium sanctum* a Iulio ordinatum, ante pacem quoque Constantinianam eodem extitisse loco, quo illud extractis porticibus et basilica Laurentio martyri dedicata Damasus voluit splendide collocare. Ipsius autem Damasi aperto testimonio certum est *nova tecta* ab eo *condita, additis dextra laevaue* porticibus, destinata esse *archivis*: quae idcirco, exeunte saeculo quarto, nondum erant in Lateranis aedibus stabilita.

Damasiani carminis interpretatio et archivi ab eo conditi situs ac dispositio forma et descriptione antiquae aedis s. Laurentii egregie

<sup>1</sup> V. Acta martyrii Petri et Marcellini de quibus Mazochi, Kal. Neap. p. 494; *Bull. crist.* 1881 p. 48, 49.

<sup>2</sup> Duchesne, l. c. p. 213, 214.



illustrantur. Quae de hoc argumento prorsus nova nunc proferentur collecta ex actis tabularii ipsius basilicae, a Davide Farabulino v. c. mihi petenti comiter sunt communicata. Vetus basilica ad annum usque 1486, quo Raphael Riarius coepit aedificare novas aedes, stetit ad viam, quae appellatur *del Pellegrino*, fronte obversa ad ortum solis. Ante frontem extracta erat singulari exemplo porticus duplex: interiorem aulam suffultam columnis binae utrinque alae cingebant. Sed aula, quam dicimus transversam et in quam alae laterum exhibant, sita haud erat ante absidem, quemadmodum in ceteris basilicis, praesertim maioribus; verum post eam, ita ut esset tanquam ultima porticus postica, et totam undequaque aedem mediam extremae porticus cingerent ac complecterentur. Singularem aedis formam illustrat epigramma Damasianum, cui vicissim ea forma collata cum aedificiis bibliothecarum veterum lucem impertit. Eo enim carmine, quod *in introitu ecclesiae*, id est fronte primae porticus exterioris prostabat, tacito nomine Laurentii martyris, cui aedes interior dedicata erat, expressa mentio fit archivi et columnarum, scilicet porticuum, quae *additae* erant dextrorsum ac sinistrorsum *Damasi nomen per saecula* servaturae. Hae igitur porticus per se quodam modo constabant, neque erant pars tantum aedis Laurentio martyri dedicatae. Nunc cum Damasiano carmine conferantur quae de bibliothecarum veterum forma et dispositione nuperrime exposuit Alexander Conze v. c., referens de exploratione celeberrimi templi Minervae Poliadis et bibliothecae Pergamenae, quae ceterarum in orbe Romano typus et exemplar fuit <sup>1</sup>. Ut uno verbo

<sup>1</sup> *Die Pergamenische Bibliothek* in *Sitzungsberichte d. K. Pr. Akad. d. W. Phil. hist. Cl.* 18 Dec. 1884.

dicam, templum erat in medio, porticus ante et post templum bibliothecas continebant; libros armariis inclusos custodiebant cellae applicitae imis parietibus porticum, quemadmodum eae, quas exhibet delineatio horreorum in vetere forma Urbis Romae<sup>1</sup>. His consideratis intelligitur Laurentio martyri tanquam templum consecratam esse a Damaso aulam mediam interiorem, in cuius abside legebatur titulus martyri dedicatus, et ad quam pertinebant singulae utrinque alae et porticus interior ante frontem: propylaeum vero exterius, cui inscriptum erat carmen de *archivis et columnis additis dextra laevaque*, cum porticibus extremis utroque latere et postico, pertinuisse ad bibliothecas et serinia ecclesiae Romanae Damasi curis opere magnifico disposita et ordinata. Cuius aedificii partes olim distinctae, lapsu deinde temporis et archivo translato ad Lateranum, videntur in unum coaluisse.

Tam amplae aedes, unde nominis perpetuitatem sibi Damasus augurabatur, ad exemplum bibliothecarum insignium destinatae *archivis*, indicio sunt *scrinium sanctum* sedis apostolicae eo loco debuisse custodiri et ordinari. Ibi certe recondita sunt acta concilii a Damaso Romae celebrati anno 369, cui adnotatum expresse erat: *similiter et alii CXLVI orientales episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archivis Romanae ecclesiae tenetur*<sup>2</sup>. Cuius adnotationis auctoritatem confirmat Basilius Damasi aequalis, qui de iisdem illis episcopis scripsit: ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔγγραφος αὐτῶν ὁμολογία τῆς ἐν Νικαίᾳ πίστεως ἀπόκειται<sup>3</sup>. Hieronymus, qui Damasum

<sup>1</sup> Jordan, Forma Urbis tab. XI, 51.

<sup>2</sup> Holstenii, Collect. Rom. I p. 177; Coustant, l. c. p. 500: cf. Bethmann in Pertz, Archiv XII p. 201.

<sup>3</sup> Basili ep. 82.

« *in chartis ecclesiasticis iuvit et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus respondit* » <sup>1</sup>, archivum sibi bene notum a Damaso curatum appellavit *chartarium ecclesiae Romanae*; unde cuilibet *requirenti* epistolae pontificum statim exhibebantur <sup>2</sup>. Haec ab eo scripta longe ab Urbe respiciunt quidem epistolam Anastasii I (a. 400-401), sed referri debent ad notitiam illius *chartarii* huiusmodi Romae, quum *chartas ecclesiasticas* tractaret et esset Damaso ab epistolis. Quare *regesta*, quae dicimus, pontificum Romanorum, in quibus epistolae et acta quaecumque requirerentur facillime possent reperiri, ab aetate saltem Damasi videntur extitisse. Sane in synodo Romana a. 531 prolatae sunt epistolae Damasi, quarum Bonifatius II iussit *fidem in sedis apostolicae scrinio requiri* <sup>3</sup>; easdem epistolas multo ante respexere Bonifatius I (a. 419) et Innocentius I (a. 412) ad *scrinii monumenta et instructionem chartarum archivorum* appellantes *in causa* potestatis vicariae a sede apostolica collatae episcopo Thessalonicensi <sup>4</sup>. Denique non est praetereundum a Siricio successore Damasi incipere seriem genuinam *decretalium*, quas Dionysius Exiguus Romae collegit, quaeque receptae sunt in antiquiores codices canonum. Successorum vero Siricii, id est Anastasii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, *regesta* absque dubio extitisse sequenti capite exponam <sup>5</sup>. Itaque Damasi curis erga archiva effectum esse,

<sup>1</sup> Epist. 130, 10.

<sup>2</sup> Apol. adversus Rufinum II, 20; Opp. ed. Vallarsi II p. 549.

<sup>3</sup> Holstenius, l. c. p. 37, et seqq.

<sup>4</sup> Holsten. l. c. p. 50, 51; Coustant, l. c. p. 817, 1019.

<sup>5</sup> In vita Siricii (Lib. pont. ed. Duchesne I p. 216) legitur eum *fecisse constitutum de omnem ecclesiam, servandum in omnem ecclesiae archibo*; id est in omnium ecclesiarum archivis, non in archivo ecclesiae Romanae, quemadmodum

ut epistolae pontificum diligentius ordinari et in acta referri coeptae sint, haud inanis coniectura est.

## CAPUT VI.

### De scrinio et bibliotheca sedis apostolicae et de regestis epistolarum pontificum saeculis quinto et sexto.

Quod Hieronymus appellavit *chartarium ecclesiae Romanae*, sollemniore vocabulo inde a saeculo saltem quinto dici consuevit *scrinium* vel *scrinia sedis apostolicae*. Hoc vocabulo usi sunt Bonifatius I, Caelestinus I, Leo Magnus alique passim. De loco vero, quo scrinium hoc saeculo situm erat, neque mentionem neque indicium comperi: quo tempore *archiva* ab aede Damasiana ad Lateranensem translata sint, fateor me ignorare. Mature id factum opinor, quum multiplex et assidua negotiorum ecclesiae tractatio exigeret, ut *chartae ecclesiasticae* semper in promptu essent pontifici et eius administris in patriarchio Lateranensi.

Scrini appellatio inde orta est, quod documenta sanctiora quorumcunque iurium includi solerent scriniis, id est cistis custodiae causa obseratis. Rem ob oculos perspicue ponit statua prostans Romae in scala aedium ducis Poli ad Trivium: exhibet enim magistratum, saeculi fere tertii vel quarti, ad cuius pedes sculpta est cista obserata inscriptis litteris: **CORPORIS MVNIMENTA**. Quae

hunc locum intellexit Mabillonius, De re diplom. I, 2, 8. Quare nulla causa est cur suspicemur archivum et regesta sedis apostolicae a Siricio esse constituta.

formula quid significet, ut statim intelligatur, supra cistam efficta sunt quattuor volumina convoluta praeferentia titulum: CONSTITUTIONES <sup>1</sup>. Hae nempe litterae (nondum recte declaratae) pertinent ad statuum dedicatam patrono nescio cuius *corporis* artificum. *Constitutiones* principum, quibus *corporis* iura sancita erant <sup>2</sup>, dicuntur eius *munimenta*. Quod vocabulum iam supra in Libro pontificali, vita Iulii, ubi de *scrinio sancto* sermo est, a me restitutum et eius simile *munimina* toto medio aevo usitatissima <sup>3</sup>, in scrinio ecclesiae Romanae sollemnia fuere et cum genuina scrinii sive cistae notione diu coniuncta. In formulis enim Libri diurni pontifex iubet *fundorum* (iuris ecclesiae Romanae) *munimina in nostro scrinio contradi scriniariis* <sup>4</sup>; sera denique aetate, medio saeculo XIV (a. 1341), *archa seu capsula sigillata tribus sigillis et clavibus tribus clausa...*, continens *nonnulla privilegia et munimenta ecclesiam Romanam concernentia*, Tarvisium nescio quo modo pervenerat et a Benedicto XII repetita est <sup>5</sup>.

Epistolae pontificum et acta cuncta ad regimen et negotia ecclesiae universae pertinentia in scrinio sedis apostolicae ita *regerantur*, ut in annales essent disposita, et eiusdem negotii gesta ac documenta uno tenore alligata reconderentur. Caietanus Cenni

<sup>1</sup> Spon, Misc. erud. antiq. p. 216, 3; Matz, von Duhn, *Antike Bildwerke in Rom* II p. 364, 365.

<sup>2</sup> Cf. *regesta constitutionum* et rescriptorum, quae collegium Paeanistarum lapidi incidenda curavit, C. I. L. VI n 3770.

<sup>3</sup> V. Marini, *Papiri* p. 292; Pertz, *Archiv* V p. 30 (*munimenta ecclesiae Toletanae*); Reg. Farfense ed. Balzani et Giorgi II p. 222; Bruzza, *Regesto Tiburtino* p. 32, 38, 42, 48, 58, 65.

<sup>4</sup> Liber diurnus form. XXXIII, ed. de Rozière p. 61.

<sup>5</sup> Theiner, Cod. diplom. domin. temp. II n. 122, p. 102.

in opere nondum edito, cui titulus « *Canon seu<sup>1</sup> codex canonum ecclesiae Romanae* », quod reperi autographum in exigua bibliotheca ludi litterarii municipalis oppidi s. Marcelli dioecesis Pistoriensis, de archivo sedis apostolicae scripsit (f. 49): « *Duas in partes percommode illud divisum esse comperio; quarum altera spirituales universae ecclesiae administrationem distinctis cum dioeceseon seu tractuum singulorum nominibus prae suis quorumvis pluteis, ut quaerenti praesto esset quidquid ferret occasio; altera vero documenta omnia donationum seu patrimoniorum et quaecumque ad ea pertinebant, quae infinitum esset enumerare, tam multiplex praeceptorum, privilegiorum aliarumque chartarum genus occurrit in pontificiis litteris, quibus de eorum administratione agitur* ». Sed gesta regiminis ecclesiae universae geographice distributa esse nullo indicio probabile fit: immo aperte contradicit Bonifatius II in causa Stephani episcopi Larissensis sic interloquutus: *quae lecta sunt ecclesiasticis indantur annalibus*<sup>1</sup>. Ea ergo documenta non scrinio *dioeceseos* Illyrici, sed *annalibus indenda* erant et alliganda<sup>2</sup>. Neque secus, opinor, iudicabit, qui excussis antiquioribus codicibus canonum documenta plurima et egregia saeculorum praesertim quinti et sexti e scriniis sedis apostolicae manifeste deprompta, quo ordine manipulatim inde extracta sint,

<sup>1</sup> Holsten. l. c. p. 28: Concil. ed. Mansi VIII p. 739: in iisdem actis Bonifatius II haec iubet: « *Et libelli oblati recitatio et prosecutio fratris et coepiscopi nostri Abundantii gestis indatur* » (Holsten. l. c. p. 19, 20).

<sup>2</sup> Anno 525, quum de futuro paschate insequentis anni dubitaretur, eademque quaestio antea incidisset in annum 444, statim *ex archivo* data est Dionysio Exiguo epistola Paschasini Lilybetani ad Leonem Magnum: quae si in scrinio Siciliae, potius quam in regestis annalibus, sita fuisset, tam facile reperiri haud potuisset (vide supra pag. XXXI).

inquiret <sup>1</sup>. In regestis quoque epistolarum Gregorii Magni, quorum longe maxima pars videbatur ad nos pervenisse, multiplices allegationes documentorum omnis generis archetypis voluminibus insertas ab editoribus inde ab aetate Hadriani I suppressas esse I. B. Pitra v. em. luculenter demonstravit, easque quatenus fieri nunc potest restituere aggressus est <sup>2</sup>.

Epistolae pontificum in regestis annalibus ordinatae erant et distinctae nota numeri singulis appicta; quarum notarum vestigia in antiquis codicibus canonum Fridericus Maassen agnovit hae- sisse epistolis Innocentii I (a. 402-417) <sup>3</sup>. Igitur iam tum regesta epistolarum pontificum certo ordine confici coepta erant et in *tomos* annales ita referri, ut quum requirerentur possent facillime reperiri. Inde lucem accipiunt tritissima verba Hieronymi ad Ru- finum initio huius capituli commemorata, quae respiciunt episto- lam Anastasii I (a. 400-401): « *Si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanae ecclesiae chartario non requiris?* » (Apol. adv. Rufinum II, 20). Haec interrogatio collata cum vestigiis atque in- diciis, quae nunc persequimur, regestorum ineuntis saeculi quinti significat ipso anno eius saeculi primo et pontificatu Anastasii ea regesta iam extitisse. Anastasio et Innocentio successit Zosimus (a. 417-418), cuius et Caelestini quoque I (a. 422-32) regesto-

<sup>1</sup> V. Maassen, *Bibl. iuris canonici* (in *Sitzungsberichte der phil. hist. Cl. d. K. Acad. d. W.*, Wien LIII p. 373 et seqq., LIV p. 157 et seqq.; LVI p. 157 et seqq.); eiusdem, *Ueber eine Sammlung Gregor's I von Schreiben und Verordnungen der Kaiser und Päpste* in *actis cit. acad. Vindobonensis* LXXV p. 227 et seqq.; eiusdem, *Geschichte der Quellen und der Literatur des canon. Rechts im Abendlande*, Gratz 1871.

<sup>2</sup> Pitra, *Anal. novissima* I p. 51-63.

<sup>3</sup> In *actis Vindob. citatis* LXXV p. 240, 241.

rum indicia certissima sagaci doctrina nuperrime detexit et exposuit H. Bresslau <sup>1</sup>. Nempe epistolae, quae pluribus eodem exemplo scribebantur, in regesta tum Augustorum tum pontificum ita referebantur, ut earum textus semel perscriberetur, praefigerentur vero coniunctim nomina eorum, quorum singulis paria exempla missa essent; id quod notari consuevit formula *a pari*. Quae formula, indicium manifestum apographi sumpti e regestis, legitur in duabus epistolis Zosimi <sup>2</sup>; in quibus deest subscriptio in regestis semper omissa. Caelestini vero epistola de haeresi Nestorii, quam latine e regestis descriptam habemus tanquam directam pluribus *per Orientem episcopis a pari*, extat in actis concilii Ephesini in Graeco cum versa ex authentico exemplo, quod directum erat Ioanni episcopo Antiochiae, neque subscriptio in Graeco omissa est <sup>3</sup>. In Leonis quoque Magni epistolis formula *a pari* semel occurrit <sup>4</sup>. Quare regesta pontificia duobus saltem saeculis antiquiora sunt Gregorio Magno, a quo ea primum ordinata esse plerique censuerunt <sup>5</sup>, ante quam prodisset codex canonum Britannicus refertus epistolis Gelasii I et Pelagii I e regestis eorum manifeste depromptis <sup>6</sup>. Gelasii *regestum* citavit quoque Deusdedit, Coll. can. II, 40. Nunc a pontificatu Gelasii et ab exeunte saeculo quinto (a. 492–96) adscendimus

<sup>1</sup> *Zeitschrift des Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte - Röm. Abtheil.* VI (1885) p. 242-260.

<sup>2</sup> Coustant, l. c. p. 955, 959.

<sup>3</sup> Concil. ed. Mansi IV p. 1047.

<sup>4</sup> S. Leonis opp. ed. Ballerin. I p. 1311; Concil. l. c. VI p. 315.

<sup>5</sup> Vide P. Ewald in *Neues Archiv* III p. 437.

<sup>6</sup> L. c. V p. 505 et seqq.; vide praesertim p. 526, 563: epistolas Gelasii et Pelagii I e codice Britannico nuper edidit Lövenfeld, *Epist. Rom. pont. ineditae*, Lipsiae 1885.



ad Zosimum, Innocentium, immo et ad Anastasium, id est ad eiusdem saeculi initia. Neque ulla ratio suadet, ut consistamus in brevissimo pontificatu Anastasii et ipso anno 400; immo multa nos invitant, ut ulterius adscendamus ad Siricium et Damasum, secundum ea quae supra exposui. Igitur constat in more positum iam fuisse initio saeculi quinti, ut epistolae pontificum in *chartario* sive scrinio ecclesiae Romanae a notariis scribis ordinate regererentur; quemadmodum rescripta Augustorum in commentariis et tabulario Caesaris; acta senatus in commentariis et *gestis* eius<sup>1</sup>; acta urbanae praefecturae in scriniis *Tellurensis secretarii*<sup>2</sup>.

Hoc loco praetereunda silentio non sunt monumenta historica vere insignia pertinentia ad pontificatum Leonis Magni et concilium Chalcedonense; ad gesta anno 530 de schismate Dioscori adversus Bonifatium II; ad controversiam *de uno ex Trinitate passo* definitam a Ioanne II a. 534, servata in codice codicum Novariensi, quorum notitiam debemus Amellio v. c.<sup>3</sup> Ea sagax editor

<sup>1</sup> V. Pick, *De senatusconsultis Romanorum*, Berolini 1884. In epistola consulum anni ab Urbe condita 681 nuper reperta Athenis graece et latine citatur: *rerum* (a senatu) *consultarum tabula prima, cera quarta decima* (Εφ' ἧ μ. ἀρχ. 1886 p. 100; Mommsen in *Hermes* XX p. 273). Morcellus ceras primam, secundam et deinceps censuit fuisse, non paginas, sed eiusdem paginae vel tabulae eas, quas quidam mendose dicunt *columnas* (De stilo iscr. ed. Rom. p. 467; *Diss. dello scrivere degli antichi Romani* p. 61). Cuius significationis quum certa veterum scriptorum auctoritas desideraretur (v. De Vit. Lex. tot. Latin. v. *cera*), ecce eam in monumento antiquissimo. Saeculo vero post Christum quinto non tabulae ceratae, sed chartae plerunque adhibebantur.

<sup>2</sup> V. Lanciani in *Bull. arch. com.* 1882 p. 61, 162: de similitudine scrinii pontificii cum scrinio Augustorum cf. Pitra, l. c. p. 68.

<sup>3</sup> Amelli, *S. Leone Magno e l'Oriente* in *Diss. lette nell'accad. di religione cattolica* a. 1882-85; eiusdem, *Documenti inediti relativi al pontificato di Felice IV e di Bonifacio II* in *Scuola catt. di Milano* XXI (1883) quad. 122; Duchesne

agnovit descripta esse ex actis authenticis et ipsis chirographis reconditis in scrinio sedis apostolicae ante annum 535, quo alterum e chirographis in codice Novariensi servatis iussu Agapeti pontificis scrinio exemptum et coram omnibus *incendio consumptum est*. Eius codicis canonum auctor Amellio videtur Dionysius Exiguus, qui in bibliotheca et scrinio ecclesiae Romanae diu versatus primus inde protulit epistolas *decretales* pontificum; multa graece scripta latinitate donavit, alia vice versa e Latino in Graecum transtulit. His Dionysii curis videri posset adtribuendum id quod Anastasius bibliothecarius notat, nonnullas epistolas pontificum latine editas servatas esse graece, et deinde e Graeco in Latinum restitutas <sup>1</sup>, nisi intellectum a Maasseno esset hanc animadversionem, quod spectat ad tempora antiquiora saeculo septimo, circumscribendam esse ad unam tantum epistolam Felicis III contra Petrum Fulonem, eamque supposititiam <sup>2</sup>.

Cennius pro certo sumit archivum sedis apostolicae bifariam divisum esse; ita ut in eius altera parte reconderentur acta donationum, inferrenturque rationes accepti et expensi, et quidquid ad administrationem patrimoniorum atque reddituum ecclesiae pertineret. Quae mera quidem coniectura est, valde tamen probabilis.

in *Mélanges etc. de l'école Fr. de Rome* 1883 p. 245 et seqq.; Ewald in *Neues Archiv* X p. 412 et seqq.: Mommsen eodem loco p. 581 et seqq. et tomo XI p. 363 et seqq.

<sup>1</sup> *Notandum, quod nonnulla, quae latine fuerunt elita, latinitas funditus mole oblivionis obruta deplorasset, nisi ex Graecorum post fonte librorum haec hausta sitibundo pectore resumpsisset, sicut epistolam beati papae Felicis in Petrum sententiam proferentem Antiochenum damnationis, Anastasii bibl. Collectaneorum praef. ed. Sirmondi (Opp. ed. Ven. I p. 294).*

<sup>2</sup> V. Maassen in actis minoribus acad. Vindob. LXXXV p. 243, 244.

Gelasius enim ordinavit polyptychum rationum ecclesiae Romanae, postea a Gregorio Magno renovatum, cuius supra memini capite secundo <sup>1</sup>. Patrimonia vero, alia administrabantur nomine sedis apostolicae a singulis rectoribus; qui post praestitam cautionem accipiebant *a scrinio breve patrimonii*, descriptionem nempe praediorum, quorum eis erat commissa administratio <sup>2</sup>. Alia singulis basilicis et titulis (aedibus sacris urbanis) erant adtributa, et ab eorum praepositis, presbyteris, actoribus administranda; quae si a iure ecclesiae Romanae transferenda essent ad ius peculiare alicuius basilicae vel tituli, *delebantur de brevibus* scrinii sedis apostolicae, ut unius alteriusve basilicae sive tituli *rationibus addicerentur* <sup>3</sup>. Sane chirographum Agapeti papae, qui causa legationis ad imperatorem a regiis arcariis pecuniam *facto pittacio solemniter acceperat* et vasa sacra basilicae Petri apostoli pignori obligarat, Theodahatus rex (a. 536) reddi iussit non scriniariis sedis apostolicae, sed *actoribus sancti Petri Apostoli* <sup>4</sup>. Quae quum ita administrata esse constet, *polyptychum* (generale) ecclesiae Romanae, *brevia* singulorum patrimoniorum, cautiones rectorum, rationes ab iis

<sup>1</sup> De polyptychis, id est libris censualibus ecclesiarum, v. Mabillon, De re diplom. I, 2, 9.

<sup>2</sup> Deusdedit, Coll. canonum III, 111 ed. Martinucci p. 291; cf. Zaccaria, Diss. de rebus ad hist. eccl. pertinentibus I p. 68 et seqq.; *Bull. di arch. crist.* 1870 p. 103.

<sup>3</sup> V. Gregorii Magni donationem basilicae Pauli apostoli in libris regestorum eius XIV, 14 (Opp. ed. Maurin. IV p. 330) et in lapide etiam nunc integerrimo (Margarini, Inscr. basil. s. Pauli n. 245; Mai, Script. vet. V p. 212, 213; Pitra, Analecta novissima I p. 466-468); et donationem Sergii I titulo s. Susannae, cuius dissita fragmenta composui in *Bull. crist.* l. c. p. 92 et seqq.

<sup>4</sup> Cassiodorii, Var. XII, 20.

redditas oportet constituisse tanquam peculiare tabularium in proprio fortasse conclavi situm intra archivum sedis apostolicae; certe distinctum ab *annalibus*, in quae *regerebantur* epistolae et *alligabantur* gesta negotiorum ecclesiae universae; itemque distinctum a tabulariis rationum basilicae Vaticanae aliarumque aedium sacrarum. Huic parti archivi et eius notariis sive scriniariis aliquid commune fuit cum vestiario et eius ministris; quippe quibus ex sagaci coniectura Ludovici Duchesne debeantur praeclara et sincerissima documenta donationum, census praediorum et reddituum, descriptiones supellectilis sacrae et pretiosae inserta Libro pontificali<sup>1</sup>. Antiquior e vestarariis a Galletto recensitis fuit *notarius regionarius et prior vestiarii*<sup>2</sup>. Locationes vero praediorum, chirographa pensionum solutarum aliaque eiusdem generis in regesta annalia relata esse colligitur ex excerptis, quae inde facta sunt a Deusdedit saeculo XI (Coll. can. III, 101, 149).

Praeterea Cennius opinatur scrinio coniunctam vel adnexam fuisse bibliothecam, quam ad exemplum celeberrimi decreti *de libris recipiendis et non recipiendis* vulgo Gelasio adtributi<sup>3</sup> coniecit fuisse divisam in septem classes, videlicet: I *Sacra Biblia*; II *Concilia*; III *Sanctorum patrum opera*; IV *Decretales epistolae*; V *Acta martyrum et chronica et codices alii caute legendi*; VI *Libri apocryphi*; VII *Scripta haeticorum*. In scrinio sedis apostolicae vere extite-

<sup>1</sup> Duchesne, Lib. pont. I p. CXLIV, CLIV.

<sup>2</sup> Galletti, *Del vestarario* p. 25.

<sup>3</sup> V. Thiel, *Epist. Rom. pont. a s. Hilario ad Pelagium* II p. 44 et seqq. 454 et seqq. Cf. Fontanini, *De antiq. Hortae* II cap. 3. Praeclarum codicem saeculi septimi exeuntis, in quo hoc decretum Gelasio adtribuitur, descripsit Leopoldus Delisle in *Revue arch.* Mai 1881 p. 259.

runt libri numero plurimi, delectu et raritate eximii, argumentis varii; praesertim opera patrum, scripta quoque haereticorum de theologia et doctrina Christiana. Eorum propemodo indicem exhibent acta concilii Romani a. 649, quem capite octavo profereamus; neque index multo antiquior *librorum recipiendorum et non recipiendorum* Gelasio adscriptus a recensione codicum eius scrinii totus alienus dicendus est. Praeterea nexum bibliothecae librorum de re theologica cum archivo confirmat auctor vitae Gelasii in Libro pontificali scribens: *fecit duos libros adversus Nestorium et Eutychem, qui hodie in bibliothecae ecclesiae archivo reconditi tenentur*<sup>1</sup>. Sed ne Cennio assentiamur *archivum bibliothecae*, id est eam archivi partem, quae peculiari nomine et usu bibliotheca dicebatur, distributum fuisse in septem classes Gelasianas, ea quae censita est quarta et complectitur *Decretales epistolas*, magnopere obstat. *Decretales* enim ab epistolis relatis in regesta pontificia distingui et secerni minime debent<sup>2</sup>; quae regesta cum allegatis actis documentisque omnis generis annaliter redacta praecipuum scrinii apostolici fundamentum et longe maxima eius pars erant, non altera tantum e classibus bibliothecae. Igitur, tametsi certum est *archivum* cum *bibliotheca* sedis apostolicae hoc tempore coaluisse, qua ratione alterum cum altera coniunctum sit, ignoramus. Quae vero fuerit codicum distributio, armariorum dispositio, coniectura sumpta ex ordine et apparatu, quo veteres eiusdem aetatis bibliothecae Christianae, praesertim Urbis Romae, instructae erant, assequemur.

<sup>1</sup> Lib. pont. ed. Duchesne I p. 255.

<sup>2</sup> Id dico de scrinio, non de codicibus canonum; in quibus nonnunquam *decretales a regestis* distinguuntur (v. Deusedit II, 40).

## CAPUT VII.

**De bibliothecis sacris Urbis Romae earumque apparatu  
et indicibus saeculis praesertim quinto et sexto.**

Quicumque scripserunt de bibliotheca sedis apostolicae usi sunt textu vulgo recepto Libri pontificalis de duabus bibliothecis ab Hilario pontifice factis *in baptisterio Lateranensi*. Sed eius libri editione critica nunc docemur bibliothecas Hilari transferendas esse a Laterano ad monasterium et *praetorium* cohaerentia basilicae suburbanae s. Laurentii via Tiburtina <sup>1</sup>. Quare nihil commune fuit his bibliothecis peculiaribus cum maiore bibliotheca coniuncta serinio sedis apostolicae in Laterano.

Altera bibliotheca instituta Romae est saeculo sexto, cura Agapeti pontificis, suasore Cassiodorio praefecto praetorii, quae prorsus distincta et longe dissita erat ab archivo et bibliotheca Lateranensi. Cassiodorius, ante quam abdicatis dignitatibus sese in monasterium Vivariense reciperet, voluit *cum beatissimo Agapito papa Urbis Romae . . . collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholae Christianae* instituere, qui sacros libros *per expositiones patrum* publice interpretarentur <sup>2</sup>. Bellici tumultus et propera pontificis mors impedimento fuere, ne Cassiodorii desiderium impleretur <sup>3</sup>. Sed Agapetum coepisse exequi propositum, condita bibliotheca et dispositis *ordine longo codicibus sanctorum divinae legis*

<sup>1</sup> Lib. pont. in Hilario ed. Duchesne I p. 245, 247.

<sup>2</sup> Cassiodorii, De instit. divin. litt. praef. Opp. ed. Garet II p. 537.

<sup>3</sup> Cassiod. l. c.

*mystica dicta docentium*, testatur sequens epigramma, visum et descriptum ab auctore syllogae epigraphicae Einsidlensis « *in bibliotheca s. Gregorii, quae est in monasterio Clitauri (clivi Scauri), ubi ipse (libros) dialogorum scripsit* » <sup>1</sup>:

SANCTORVM VENERANDA COHORS SEDET ORDINE *longo* <sup>2</sup>  
 DIVINAE LEGIS MYSTICA DICTA DOCENS  
 HOS INTER RESIDENS AGAPETVS IVRE SACERDOS  
 CODICIBVS PVLCHRVM CONDIDIT ARTE LOCVM  
 GRATIA PAR CVNCTIS SANCTVS LABOR OMNIBVS VNVS  
 DISSONA VERBA QVIDEM SED TAMEN VNA FIDES

Neque Muratorius <sup>3</sup> neque Blasius <sup>4</sup> neque alii intellexerunt quis fuerit hic *Agapetus iure sacerdos*; Ferdinandus vero Piper collatis verbis Cassiodorii et similium carminum formularumque exemplis demonstravit, bibliothecam hoc epigrammate ornatam conditam esse ab Agapeto pontifice Romano a. 535-536 <sup>5</sup>, eodem loco, quo postea a Gregorio Magno coenobium constitutum est s. Andreae ad clivum Scauri. Quomodo Agapeti et Gregorii Magni bibliothecae coaluerint, vel Gregorii nomen in locum nominis Agapeti substitutum sit, declarabo. Agapetus fuit filius Gordiani et clericus tituli

<sup>1</sup> Urlichs, Cod. Topogr. urbis Romae p. 65.

<sup>2</sup> Finem versus, qui in codice deficit, supplevit Marinius ap. Mai, Script. vet. V p. 181, 2.

<sup>3</sup> Thes. inscr. p. 1822, 6.

<sup>4</sup> In Odericii Diss. p. 301.

<sup>5</sup> *Zur Geschichte der Kirchenväter aus epigraphischen Quellen in Zeitschrift für Kircheng.* Gotha 1876 p. 256-59.

Ioannis et Pauli ad clivum Scauri <sup>1</sup>; Gregorius filius alterius Gordiani <sup>2</sup> in domo paterna, clivo Scauri, coenobium instituit. Ambo eodem genere nati eandem domum incoluerunt: Agapetus in paternis aedibus, media Urbe, sacrarum litterarum studiosis bibliothecam paravit; hac Gregorius usus est, ea demum est monasterio inclusa.

*Sanctorum veneranda cohors sedens ordine longo, quos inter et Agapetus conditor bibliothecae residebat*, interpretanda certe est de imaginibus patrum, quorum *codices, pulchro loco arte condito*, eodemque atque pictae imagines ordine in armariis erant dispositi. Sic Isidorus Hispalensis bibliothecam ordinavit distributam in classes: quarum singulis adtributa erant armaria ornata imaginibus auctorum et epigrammatibus uniuscuiusque classis argumentum designantibus. Exempli gratia referam disticha de codicibus *iuris, historiarum, medicinae*: nomina eorum, quorum imagines pictae erant supra singula armaria, servat codex Ambrosianus editus a Muratorio <sup>3</sup>.

THEODOSIVS

PAVLVS

GAIVS

CONDITVR HIC IVRIS SERIES AMPLISSIMA LEGVM

VERIDICO LATIVM QVAE REGIT ORE FORVM

<sup>1</sup> Lib. pont. in Agapeto ed. cit. I p. 287.

<sup>2</sup> V. Inscr. Christ. I p. 371-373.

<sup>3</sup> Muratori, *Anecdota ex codicibus Ambrosianis* II p. 208 et seqq.; Florez, *Hisp. sacra* IX p. 376, 381; Arevalus, *S. Isidori Opp.* II p. 2 et seqq., V p. 316 et seq., VII p. 180 et seqq.; Zirardini, *Novellae leges* p. 4 et seqq., 119, 120. Cf. monosticha inserta indici antiquo bibliothecae Cluniacensis (Delisle, *Inventaire des mss. de la bibl. nat. Fonds Cluni*, Paris 1884 p. 337-73).



EVSEBIVS  
 OROSIVS  
 HISTORIAS RERVM ET TRANSACTI TEMPORA SAECLI  
 CONDITA MEMBRANIS HAEC SIMVL ARCA GERIT

COSMAS  
 DAMIANVS  
 HIPPOCRATES  
 GALLIENVS  
 QVOS CLAROS ORBE CELEBRAT MEDICINA MAGISTROS  
 HOS PRAESENS PICTOS SIGNAT IMAGO VIROS

Totam horum epigrammatum syllogen vetus index bibliothecae Laureshamensis designat hoc titulo: *Versus qui scripti sunt in armaria sua ab ipso (Isidoro) compositi*<sup>1</sup>. Quare haud dubitandum cum Arevalo est, utrum haec carmina destinata essent imaginibus pingendis in paginis codicum, an in armariis sive supra armaria<sup>2</sup>. Imaginibus auctorum, iisque in classes apte dispositis, bibliothecae veteres ornari consuevere<sup>3</sup>; quem morem Christianos quoque Romae

<sup>1</sup> Cod. Vat. Pal. 1877; Mai, Spicil. Rom. V p. 187 (qui perperam edidit *in armario suo*): cf. Piper, l. c. p. 262.

<sup>2</sup> Arevalus, Isidoriana c. 81, l. c. II p. 2 et seqq. Cf. Ennodii carm. II, 31 *de epigrammatis per armaria domni Fausti factis* (Sirmondi, Opp. ed. Ven. I p. 1115).

<sup>3</sup> V. Plin. Hist. nat. XXXV, 2; Tacit. Ann. II, 37, 83; Seneca, De tranquill. animi c. 9; Sueton. in Tiberio c. 70; Lips. de bibl. c. X. Rodulfus Lanciani in *Bull. arch. com.* 1884 p. 49 refert de ruinis aulae veteris bibliothecae nuper effossis et de vestigiis armariorum eius impressis parieti: eodem loco vestigia quoque agnita sunt imaginum clipeatarum e gypso, quarum alteri appictum erat minio nomen; *ap*OLONIVS. THYANEVS. De bibliothecis veterum, praesertim urbanis, praeter Conzium, quem supra laudavi (p. XLII), consulendi sunt Hirschfeld, *Röm. Verwaltungsgeschichte* p. 186-192; Marquardt, *Das Privat-*

esse imitatos declaratur epigrammate bibliothecae Agapeti in clivo Scauri. Rusticus (fortasse episcopus Narbonensis) scribens ad Eucherium episcopum Lugdunensem meminit epigrammatis, quod legerat puerilibus annis (exeunte saeculo quarto) *in bibliotheca*, non ea quidem sacra, sed *studiosi saecularium litterarum . . . .; quum aedis ordinator ac dominus inter expressas lapillis aut ceris discoloribus formatasque effigies vel oratorum vel etiam poetarum, specialiu singulorum autotypis epigrammata subdidisset*<sup>1</sup>. Quae exacte concordant cum carminibus supra relatis Isidori Hispalensis et imaginibus ab eo fieri iussis.

Asinius Pollio *primum Romae bibliothecas publicavit Graecam simul atque Latinam, additis auctorum imaginibus in atrio*<sup>2</sup>: auctorum statuas et hermas in bibliothecarum sive atrio sive cellis dedicatas esse et indices operum statuvis inscriptos veterum testimonio et repertis monumentis constat<sup>3</sup>. Quare paene certum videtur in aliqua huius modi cella bibliothecae Christianae sive publicae sive privatae positam primum fuisse celeberrimam statuum Hippolyti do-

*leben d. Römer* I p. 113; Lanciani, in *Bull. arch. com.* 1883 p. 192-195; Castellani, *Delle biblioteche dell'antichità dai tempi più remoti alla fine dell'impero romano*, Bologna 1884.

<sup>1</sup> Sirmondus ad Sidon. epist. II, 11 (Opp. ed. Venet. I p. 507).

<sup>2</sup> Isidorus, Etym. VI, 5: cf. quae exposui capite V de bibliotheca Pergamena, ad cuius exemplar pleraeque Romae et in orbe Romano conformatae sunt, et de eius porticibus sive atrio.

<sup>3</sup> V. Visconti, *Icon. greca* I p. 198; Winckelmann, *Monum. ined.* p. 225; Marini, *Iscr. Albane* p. 171; Franz, C. I. Gr. 6047; Comparetti et de Petra, *La villa dei Pisoni e la sua biblioteca*, Torino 1883. In elogio mutilo reperto Vulsiniis legitur: . . . . IS BYBLIOTHECAM A SOLO — . . . . ea MQVE LIBRIS ET STATVIS — . . . . tESTAMENTO DEDIT (Stevenson iun. in *Ann. dell' Ist. arch.* 1882 p. 158).

ctoris et martyris, insignitam litteris Graecis exhibentibus tabulas chronographicas et titulos operum eius <sup>1</sup>. Quas inscriptiones Assemani censuerunt afferendas esse in praefatione ad catalogos codicum bibliothecae Vaticanae, tanquam specimen vetustissimum indicis librorum doctrinae sacrae ad Romanam ecclesiam aliquo modo pertinentium.

In bibliothecis hoc ornatu instructis atque ordinatis ipsa distributio in classes, imagines auctorum et appicta epigrammata indicum loco erant. Neque fieri potuit quin bibliothecae copiosiores ecclesiarum, sin minus imaginum, apto saltem ordine codicum spectabiles essent et studiosorum usui accomodatae. Epigrammati Ennodii de bibliotheca sacra, quae ab eo dicitur « *Lux pudoris, esca mentis, fax, medela, claritas* », praefixum est lemma: *super codices in ordine positos* <sup>2</sup>. Possidius in vita Augustini capite ultimo scripsit: « *ecclesiae bibliothecam omnesque codices diligenter custodiendos semper iubebat* »; deinde meminit monasteriorum, quae « *ecclesiae dimisit una cum bibliothecis libros et tractatus vel suos vel aliorum scriptos habentibus* <sup>3</sup>. » Unde intelligitur quanto in pretio ab Augustino et a scriptore vitae eius haberentur *bibliothecae ecclesiae et monasteriorum* et codices in iis custodiendi, certe non tumultuaria verum apta serie et ordinata. Quo studio bibliothecae recte disponendae

<sup>1</sup> V. Torquati Armellini, De prisca refutatione haereseon Origenis nomine recens vulgata p. 46, 47. Statua reperta quidem est in coemeterio Hippolyti via Tiburtina (v. *Bull. crist.* 1881 p. 29; 1882 p. 42; 43): sed eam Hippolyto etiam tum vivo positam esse mea opinio fert (v. *Inscr. Christ.* I p. LXXX); neque veri simile est primam huius statuae dedicationem factam esse in specu et sepulcreto subterraneo.

<sup>2</sup> *Carm.* II, 123 (Sirmondi, *Opp.* ed. cit. I p. 1140).

<sup>3</sup> *Acta ss. Aug.* VI p. 440 n. 70.

conditores et praesides monasteriorum prae ceteris excellere. Cassiodorius, condito monasterio Vivariensi, inceptum suasu eius ab Agapeto Romae inchoatum persequutus est; neque quidquam antiquius habuit, quam bibliothecam instruere<sup>1</sup>. Cuius administris leges dedit, ut exemplaria accurate perscriberent et emendarent; similis argumenti libri in unum cogerent; integumenta codicum *docti artifices ita conficerent, ut litterarum sacrarum pulchritudinem facies desuper decora vestiret: idcirco multiplices species facturarum in uno codice depictas expressit...; paravit etiam nocturnis vigiliis mechanicas lucernas . . . ., quae humano ministerio cessante prolixè custodirent uberrimi luminis claritatem; et horologia tum solare tum aquatile, quod die noctuque horarum iugiter indicaret quantitatem*<sup>2</sup>. Bibliothecam his legibus institutam, hac arte instructam Cassiodorius toto

<sup>1</sup> De instit. divin. litt. c. 29, 30. De bibliothecis sacris, praesertim coenobiorum, saeculis sexto et sequentibus, vide Mabillon, De studiis monast. passim; Tosti, Proleg. ad Bibl. Casin. I p. II et seqq.; Cahier et Tailhan, *Nouveaux mélanges d'archéol.* toto fere volumine IV; Giuliani, *Bibl. capit. di Verona* (in *Archivio Veneto* XIX p. 14 et seqq.); Galante, *Mem. dell' antico cenobio Lucullano* etc. Napoli 1869 p. 35. In bibliotheca coenobii Lucullani, curante Eugippio Cassiodorii amico, conficiebantur a servis antiquariis libri mittendi non tantum ad vicinas Campaniae civitates, sed et in Africam (vide s. Fulgentii ep. 5 ad Eugippium). Codex thesauri Eugippiani excerptorum e libris s. Augustini conscriptus ante medium fere saeculum sextum illatus est a. 582 in archibum ecclesiae Neapolitanae (Mabillon, *Anal.* ed. 2 p. 60; Troya, *Codice diplom. Longobardo* I p. 31-33; Tagliatela, *La stauroteca di s. Leonzio*, Napoli 1877 p. 27). A bibliothecis Eugippii et Cassiodorii Lucullana ac Vivariensi magnum codicum numerum saeculo sexto suppeditatum esse coenobiis, ecclesiis et quibuscunque petentibus tota praesertim Italia inferiore sagaciter intellexit A. Reifferscheid, *De Lat. codicum subscriptionibus* p. 8. (in *Indice scholarum univ. Uratislaviae* 1882).

<sup>2</sup> De instit. divin. litter. c. 30.

fere libro « De institutione divinarum litterarum » praeclare illustravit. Cui subiunxit *septem titulos saecularium lectionum* « De artibus ac disciplinis liberalium litterarum ». Ex his Cassiodorii libris elicitur index bibliothecae ab eo conditae in monasterio Vivariensi.

Recensiones vero librorum, quas *catalogos* dicimus, in veterum bibliothecis extitisse necesse est; quanquam expressa earum testimonia vel desiderantur, vel a singulorum voluminum indicibus, quos Cicero dicit *σιλλύβους* a Graecis esse appellatos, discerni difficile possunt<sup>1</sup>. *Σιλλύβοι* fiebant ex membranula, quae voluminibus agglutinabatur<sup>2</sup>. Bibliothecae Christianae antiquissima recensio (*πίναξ*) ea est, quam Eusebius inseruit libro tertio de vita Pamphili; cuius operis iacturam summopere dolemus<sup>3</sup>. « Catalogos bibliothecarum antiquos », qui supersunt, colligere aggressus est Gustavus Becker volumine nuper edito<sup>4</sup>. Incipit a Fontanellensi a. 742-747, cui aetate par subiungi debuit index librorum lapidi incisus in basilica urbana s. Clementis a Beckero praetermissus<sup>5</sup>. Longe antiquiora sunt excerpta ex actis concilii Romani a. 649, quae

<sup>1</sup> Ad Attic. IV, 46: « Offendes designationem Tyrannionis mirificam librorum meorum »: quo vocabulo *designationem* Cicero indicare videtur non recensionem, sed ordinem et dispositionem librorum. Seneca, De tranquillitate animi c. 9 *voluminum frontes, titulos et bibliothecarum indices* memorat: hoc fortasse loco indices bibliothecarum a titulis (*σιλλύβοις*) voluminum sunt distinguendi.

<sup>2</sup> Cic. ad Attic. I. c.

<sup>3</sup> Euseb. Hist. eccl. VI, 32; Hieron. Apol. adv. Rufinum II, 23.

<sup>4</sup> Catalogi bibliothecarum antiqui, Bonnae 1885. Continet primo « catalogos saeculo XIII vetustiores », deinde « catalogum catalogorum posterioris aetatis » usque ad a. 1499.

<sup>5</sup> Marini ap. Mai, Script. vet. V p. 424, 2: alii indices librorum inserti titulis oblationum lapidi incisis addendi sunt catalogis collectis a Beckero (v. Bianchini, Praef. ad Anastas. n. 49; Mai, l. c. p. 118, 119).

pro specimine catalogi librorum bibliothecae sedis apostolicae quodam modo debent haberi <sup>1</sup>. Alia quoque multa in Beckeriano corpore desiderari parum mirabitur, qui reputabit quam varii et quot locis dissiti libri manu scripti et typis impressi huius indaginis gratia sint excutiendi <sup>2</sup>.

E centum triginta sex catalogis antiquioribus saeculo XIII a Beckero collectis ne unus quidem pertinet ad bibliothecas Urbis et ecclesiae Romanae. Sane nullus index, qui proprie dici possit catalogus bibliothecae et scrinii pontificii, confectus ante finem saeculi XIII ad nos pervenit. Attamen ex actis concilii Romani a. 649, quae modo citavi, elicitur pars valde notabilis indicis librorum bibliothecae sedis apostolicae saeculo septimo. Qua de re dicam capite sequenti.

<sup>1</sup> Beckerus similia excerpta ex epistolis aliisque scriptis, quae indicum vice fungi possunt, inter antiquos catalogos librorum recepit.

<sup>2</sup> Notatione dignum censeo catalogos duos, qui in corpore Beckeriano desiderantur, alterum bibliothecae ecclesiae Podiensis (du Puy) editum a Leopoldo Delisle (*Recherches sur l'ancienne bibliothèque de la cathédrale du Puy*), alterum bibliothecae monasterii d'Anchin (Dechaisnes in *Catalogue général des mss. des bibl. des départements* VI p. 765) redigi coeptos esse secundum quamdam seriem numerorum. Catalogus vero Cluniacensis, quem supra citavi, item a Beckero praetermissus, dividitur in capita; quibus praefixi sunt versiculi ipsis, opinor, armariis inscripti.

## CAPUT VIII.

De scrinio et bibliotheca sedis apostolicae  
saeculo septimo.

Exeunte saeculo VI et ineunte VII scrinium sedis apostolicae nobis offert monumentum insigne, regesta epistolarum Gregorii Magni ab anno 590 ad 604. De harum epistolarum codicibus recensendis et critice expendendis, ut archetypi *libri charticij regestorum* tanti pontificis, quatenus fieri potest, restituantur <sup>1</sup>, P. Ewald praeclare meritus est; mihi que satis superque erit ad incepta eius, quae propediem perficienda speramus, lectorem amandare <sup>2</sup>. Si quid videri praeterea poterat addendum aut admonendum, id nuper praestitum abunde est a praeside eminentissimo bibliothecae sedis apostolicae <sup>3</sup>. Epistolae autem Gregorii M. non omnes in regesta authentica sunt relatae <sup>4</sup>. Ex his epistolis multa de scriniis ecclesiae Romanae possent excerpti; quae quum cuilibet praesto sint, omitto. Neque tamen silentio praetereundum, Gregorium semel et iterum inquisisse de fide actorum concilii Ephesini, collatis codicibus Romanis et Constantinopolitanis; et agnovisse ea « *quae ab an-*

<sup>1</sup> Ioannes Diaconus, cuius verba nemo non novit, in Praef. Vitae s. Gregorii M. citat *tot charticios libros epistolarum eiusdem patris, quot annos; eosque* (IV, 71) ab aetate Gregorii ad saeculum IX, quo scribebat, servatos testatur.

<sup>2</sup> P. Ewald, *Studien zur Ausgabe des Register Gregors I* in *Neues Archiv* III p. 431-625; cf. eiusdem *Regesta Gregorii M.* in Iaffè *Reg. ed. secundae* p. 143 et seqq.

<sup>3</sup> Pitra, l. c. p. 51-63.

<sup>4</sup> V. Ewald in *Neues Archiv* l. c. p. 438.

*tiquitate servata in scriniis* (sedis apostolicae) *habebantur* » esse sinceriora <sup>1</sup>. « *Romani autem codices* (eadem de re scripsit Gregorius ad Narsetem comitem degentem Constantinopoli) *multo veriores sunt Graecis, quia nos, vestra sicut non acumina, ita nec imposturas habemus* » <sup>2</sup>. De polyptycho Gregoriano dixi capite secundo.

Gregorius, praeter polyptychum et regesta epistolarum, homilias habitas ad populum voluit *retineri in scrinio sanctae ecclesiae* (Romanae); quas eo loco non reconditas dicit, sed *editas, ut* (omnes) *hic inveniant unde in his, quae emendata sunt, certiores fiant* <sup>3</sup>. Itaque scrinium et ei iuncta bibliotheca aetate Gregorii, quemadmodum ante duo saecula aetate Hieronymi, publico patebant. Libri *Moralium*, quos Taio episcopus Caesaraugustanus iussu regis Chindaswinthi (a. 642-49) quaesivit *in archivo sedis apostolicae, prae multitudine aliorum librorum non potuerunt reperiri*. Reperti autem sunt in basilica Petri apostoli *in scrinio, cuius altior locus continebat beatum Augustinum* <sup>4</sup>. Inde Maurini editores operum Gregorii Magni (l. c.) falso collegerunt *scrinium sedis apostolicae* saeculo septimo situm fuisse in basilica Vaticana. Sua nempe singulis basilicis et ecclesiis fuerunt scrinia librorum, quemadmodum supra expositum est: ipseque Gregorius acta martyrum petita ab Eulogio Alexandrino quaesivit tum *in archivo ecclesiae*, tum *in Romanae Urbis bibliothecis* <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Epist. IX, 49 ed. Maurin. (al. 48).

<sup>2</sup> Epist. VI, 14 ed. Maurin. (al. V, 14).

<sup>3</sup> S. Gregorii praef. ad lib. XL homil. Opp. ed. Maurin. Paris, 1705 I p. 1434.

<sup>4</sup> L. c. I p. XXI: Florez, *España sagrada* XXXI p. 168.

<sup>5</sup> Epist. VIII, 29 ed. cit. (al. VII, 29).



*Scrinium* vero et *bibliotheca sedis apostolicae*, quibus praecerat primicerius notariorum, saeculo septimo in Lateranensi certe patriarchio erant: in formulis enim eo saeculo usitatis insertisque Libro diurno *archivum sanctae Romanae Ecclesiae et sacrum Lateranense scrinium* aperte sunt unum et idem <sup>1</sup>. In concilio Romano, quod adversus haeresim Monothelitarum actum est in basilica Constantiniana (in Laterano) a. 649, omnis generis chartae et codices quamplurimi patribus petentibus sumpti e scrinio et bibliotheca statim, tanquam e loco proximo, exhibebantur.

Theophylactus primicerius notariorum iussu Martini I excerpit de codicibus curae eius commissis *defflorata sanctorum patrum testimonia*; deinde *testimonia de codicibus haereticorum* <sup>2</sup>. His excerptis attente perlectis, et excussis totis concilii actis intelligitur *suggestiones supplicum, - relationes - (epistolas) synodicas - scripta et capitula novitatis accusata - chartulas - ecthesin Heraclii imperatoris - monumenta et epistolas ad eam ecthesin pertinentia - acta sanctorum conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis et quinti* prolata esse *de apostolico scrinio, de venerabili scrinio, de scrinio sanctae ecclesiae*. Quum vero in *capitulis* Cyri Alexandriae episcopi mentio facta esset *cuiusdam dictionis beati Dionysii Atheniensis episcopi* ex epistola eius ad Gaium, alter e patribus dixit: *neesse est, ut codex praedicti doctoris affe-*

<sup>1</sup> Liber diurnus n. LXXXII ed. de Rozière p. 173.

<sup>2</sup> Concil. ed. Mansi X p. 890 et seqq.; ed. Coleti VII p. 278 et seqq., 314 et seqq. Singula verba et titulos codicum ex actis concilii Romani a. 649 citabo ad editionem Venetam Coleti; unde excerpta de hoc argumento in schedis meis habeo.

ratur <sup>1</sup>. Theophylactus autem petitum codicem protulit, non de scrinio, sed *de venerabili bibliotheca sedis* (apostolicae) <sup>2</sup>. Neque ceteri codices patrum, quos Theophylactus *defloravit* et exhibuit, item haereticorum superioris aetatis, quorum scripta non erant alligata gestis controversiae tunc agitatae, sumpti unquam dicuntur e scrinio: collatisque iis, quae rettuli de codice Dionysii Atheniensis, intelligitur codices omnes patrum et veterum haereticorum prolatos esse e bibliotheca. Inde lucem capit discrimen inter *scrinium* et *bibliothecam* sedis apostolicae utraque commissa fidei et auctoritati primicerii notariorum. Ipsa celeritas, qua Theophylactus quoscumque libros imperatos, etiam parum tritos veterum haereticorum, statim afferebat, demonstrat eos in promptu fuisse in proxima bibliotheca iuncta archivo; in qua codices ordine dispositi eorumque indices (*σλλύβει*) perspicui erant vel in tabulas relati. Quumque Theophylactus primicerius tum iure dignitatis tum usu librorum vere fungens munere bibliothecarii plurimos codices Graecos et Latinos excusserit et deflorarit, e gestis eius in concilio Lateranensi colligitur aliqua pars tabulae indicum bibliothecae sedis apostolicae a. 649. Quam tabulam ex iis actis a me excerptam et in ordinem litterarum digestam hoc loco proponendam esse censeo.

<sup>1</sup> Concil. ed. Coleti, l. c. p. 186.

<sup>2</sup> « *Secundum iussionem vestrae beatitudinis (Martini I) afferens de venerabili bibliotheca sedis vestrae codicem beati Dionysii prae manibus habeo* » l. c. p. 187.

CODICES PATRUM ET HAERETICORUM E BIBLIOTHECA SEDIS APOSTOLICAE  
EXHIBITI IN CONCILIO ROMANO A. 649.

## I. Patres

- BEATI AMBROSII *episcopi Mediolanensis, Sermones tres ad Gratianum imp.*  
(Concil. ed. Coleti VII p. 279, 287).  
— *Interpretatio evangelii secundum Lucam* (p. 290).  
— *Sermones fidei duo* (p. 290, 303).
- SANCTI AMPHILOCHII *ep. Iconii, In eo quod dictum est: « Ex se filium nihil  
facere posse » et: « Pater maior me est »* (p. 287, 311).
- SANCTI ANASTASII *ep. Antiochiae, De satisfactione pro epistola apostolicae me-  
moriae Leonis papae* (p. 314).
- SANCTI ATHANASII *ep. Alexandriae, Sermo contra Apollinarium* (p. 294).  
— *Sermo maior contra Apollinarem pro fide* (p. 295).  
— *Sermo contra Apollinarem factus per interrogationem et responsio-  
nem* (p. 295).  
— *(De eo) quo dicitur: « Nunc anima turbata est »* (p. 295).  
— *Sermo tertius contra Arianos* (p. 310).  
— *Dogmatica epistola ad Antiochenos* (p. 310).  
— *Sermo de evangelio secundum Matthaeum, quo ait: « Qui dixerit  
verbum contra filium hominis »* (p. 310).
- SANCTI AUGUSTINI *ep. Hipponeregiensis, Homilia XXII de evangelio secundum  
Ioannem* (p. 282).  
— *Interpretatio psalmi XCIII* (p. 290).  
— *Civitatis Dei, sermo XIV* (p. 291).  
— *Interpretatio psalmi centesimi* (p. 291).  
— *Liber de gratia novi testamenti ad Honoratum* (p. 294).
- SANCTI BASILII *episcopi Caesareensis prov. Cappadociae, Syllogisticum contra  
Eunomium* (p. 282).

- SANCTI BASILII *Sermo primus contra Eunomium* (p. 282).  
 — *Sermo ad Amphilochem de sancto Spiritu* (p. 282).  
 — *Interpretatio primi psalmi* (p. 282).  
 — *De spiritu sancto* (p. 286).  
 — *Epistola ad beatum Amphilochem* (p. 310).
- SANCTI CYRILLI *episcopi Alexandrini, Interpretatio in evangelium secundum Ioannem* (p. 283, 287, 302).  
 — *Interpretatio in evangelium secundum Matthaeum* (p. 287, 302).  
 — *Thesauri* (p. 283, 302, 314).  
 — *Sermones dialogici vel cogitationes ad Hermen* (p. 283, 287).  
 — *Interpretatio epistolae ad Hebraeos* (p. 314).
- SANCTI CYRILLI *episcopi Hierosolymitani, Homilia in evangelium ubi Dominus aquam in vinum convertit* (p. 311).
- SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE *ep. Atheniensis, Sermo divinorum nominum* (p. 307).  
 — *Epistola quarta ad Gaium* (p. 307).
- SANCTI EUPHREMII *episcopi Antiochiae, Contra Severum haereticum* (p. 314).
- SANCTI GREGORII *episcopi Nyssanensis, Epistola ad Eustadium de sancta Trinitate* (p. 282).  
 — *Epistola ad Ablavium de sancta Trinitate* (p. 283).  
 — *Sermo ubi exponit Pater noster* (p. 283).  
 — *Sermo contra Apollinarem* (p. 286, 295).  
 — *Sermones contra Eunomium secundus et quartus* (p. 287, 295, 311).  
 — *Contra Eunomium liber tertius volumine X<sup>o</sup>* (p. 311).  
 — *Sermo factus in Pascha* (p. 295).  
 — *In hoc ubi dicit: « Beati qui esuriunt »* (p. 311).
- SANCTI GREGORII *Theologi, Sermo secundus de filio* (p. 286, 295).
- SANCTI HILARII *ep. Pictaviensis confessoris, Sermo pro fide* (p. 303).
- SANCTI HIPPOLYTI *episcopi et martyris, Homilia dominicae Paschae* (p. 294).  
 — *Sermo theologiae, idest deitatis* (p. 287).
- SANCTI IOANNIS *episcopi Constantinopolitani, Sermo factus ad eos, qui ad missas non occurrerunt, et de consubstantiali* (p. 298).  
 — *Interpretatio evangelii secundum Lucam* (p. 298).

SANCTI IOANNIS *episcopi Constantinopolitani, Sermo de vidua quae duo minuta obtulit, cuius initium: « Simplex quidem ieiunii appellatio »* (p. 311).

— *In Thomam apostolum* (p. 314).

SANCTI IOANNIS *episcopi Scythopoleos, Sermo octavus contra Severum haereticum* (p. 314).

SANCTI IUSTINI *philosophi [episcopi] et martyris, De trinitate liber tertius* (p. 307).

— *Sermo ad Paganos* (p. 307).

BEATI LEONIS *Romani pontificis, Ad Leonem imper. volumen secundum* (p. 294, 303).

(EIVSDEM) *sanctae recordationis Romani praesulis, Sermo ad sanctae memoriae Flavianum episcopum Constantinopolitanum* (p. 303).

BEATI SERVIANI (em. Severiani) *episcopi Gabalensis, In eo quod scripsit: « Pater transfer a me calicem hunc »* (p. 299).

— *Homilia contra Iudaeos, Paganos et Apollinaristas* (p. 299).

SANCTI THEOPHILI *episcopi Alexandriae, Sermo factus propter mulierem habentem fluxum sanguinis* (p. 299).

## II. Haeretici

(Concil. I. c. p. 319-330)

APOLLINARIS, *Contra Theodorum.*

— *Sermo de divina incarnatione.*

— *Sermo, qui superscriptus est in Epiphania incarnationis Dei.*

COLLUTHI, *De satisfactione facta pro tomo Theodosii haeretici.*

— *Rescripta contra Themestium pro Theodosio.*

IULIANI *quondam Halicarnassensis episcopi, Sermo contra Manichaeos.*

LUCII ARIANI, *episcopi quondam Alexandriae, Sermo dictus in Pascha.*

NESTORII, *Liber secundus, quem scripsit Epiphanius Myeseos.*

— *Epistola ad Alexandrum Hierapolitanum.*

PAULI *diaconi Persae, Nestoriani, Sermo iudicii.*

- POLEMONIS, *discipuli Apollinaris, Contradictiones factae adversus sententias patrum.*
- *Sexta epistola ad Timotheum.*
- SEVERI, *Prosphonicus sermo factus in Daphne, in martyrio s. Euphemiae.*
- *Epistola ad Eleusium.*
- *Ad Sergium grammaticum.*
- *Adversus sanctae memoriae Ioannem episcopum Caesareae Palaestinae.*
- *Epistola prima ad Oecumenium.*
- *Ad Ioannem (haeticum) quondam episcopum Alexandriae.*
- THEMESTII *haeresiarcae Agnostarum, Sermones secundus et tertius adversus Colluthum.*
- *Epistola pro Salamitanis.*
- *Sermo ad Charisium monachum.*
- *Ad Constantinum episcopum Laodicensem.*
- THEMISTII, *Ad eos qui dicunt pro eo quod una est Deo decibilis operatio etc.*
- *Satisfactio ad generalitatem monachorum.*
- *Ad Marcellum presbyterum et Stephanum diaconum.*
- THEODOLI *Nestoriani, De consonantia novi et veteris testamenti liber secundus.*
- THEODOSII *haeretici Alexandriae, Tomus scriptus Theodora Augustae.*
- THEODOSII *Mopsuesteni, Sermo secundus pro miraculis.*
- *Sermo incarnationis.*

Ex his tabulis, quae vix aliquam partem attingunt codicum in bibliotheca sedis apostolicae extantium septimo saeculo<sup>1</sup>, discimus quam ea dives esset librorum non modo Latinorum sed et Graecorum totius litteraturae theologicae tum Orientis tum Occidentis. Inde quoque intelligitur libros haeticorum diligenter servatos peculiarem eius bibliothecae classem constituisse.

<sup>1</sup> Cf. acta concilii Constantinopolitani a. 680 ed. Coleti VII p. 657 et seqq.

## CAPUT IX.

**Ecclesia Romana gentibus ad Christianam fidem conversis,  
praesertim Anglis, codices dedit et inde accepit  
saeculo septimo.**

Anno 601 Gregorius Magnus misit Roma ad Augustinum apostolum Anglorum *plurimos codices*<sup>1</sup>: quorum unum et alterum docti Angli putant agnosci posse in evangeliariis antiquissimis Bodleiano et Cambricensi<sup>2</sup>. Blumius<sup>3</sup> censet ex epistola Gregorii Magni ad Aetherium episcopum Lugdunensem<sup>4</sup> constare, *antiqua consuetudine* ab archivo et bibliothecis ecclesiae Romanae ecclesiis orbis universi codices esse subministratos. *Antiquae* autem consuetudinis Gregorius meminit agens, non de codicibus, verum de privilegiis: « *De eo quod ecclesiae vestrae ex antiqua consuetudine deposcitis, re-*

<sup>1</sup> Beda, Hist. eccl. Angl. I c. 29.

<sup>2</sup> Wanley, Catal. p. 151, 173 cod. Cambric. n. CCLXXXVI; Westwood, Palaeographia sacra pictoria P. VII; Goodwin, Evangelia Augustini Gregoriana, an historical and illustrative description of the mss. n. CCLXXXVI and CXCVII, Cambridge 1847; Garrucci, *Arte cristiana* III p. 64. Psalterii, quod ferebatur esse unum e libris Roma missis a Gregorio M. ad Augustinum, mentio fit in *Catalogue of ancient manuscripts in the British Museum, Part II*, London 1884 p. 8: sed editores peritissimi (Bond, Thompson, Warner) monent scripturam eius psalterii esse Anglo-saxonicam et videri exaratam anno fere 700 (cf. Delisle in *Bibl. de l'école des chartes* 1885 p. 317).

<sup>3</sup> *Iter Ital.* I p. 41.

<sup>4</sup> *Epist. ed. Maurin.* IX, 56 (al. 50).

*quiri in scrinio fecimus et nihil inventum est: unde nobis epistolas, quas vos dicitis habere, transmittite* ». Nempe Aetherius petierat, ut *ex antiqua consuetudine* Gregorius recognosceret nescio quae privilegia concessa a decessoribus eius. Deinde Gregorius subdit: « *Gesta vero vel scripta beati Irenaei iam diu est, quod sollicite quaesivimus, sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit* ».

Potentibus autem tum Gallis tum Hispanis et Alexandrinis codices et scripta patrum, quae desiderabantur, requisita esse in scrinio et bibliothecis sedis apostolicae, demonstratur gestis et exemplis, quae supra commemoravi. Sed cura subministrandi libros sacros et omnis generis codices gentibus ad Christi fidem recens conversis, saeculis maxime septimo et octavo incubuit ecclesiae Romanae; eo quippe tempore evangelii praecones ex Anglia, Germania et regionibus Europae septentrionalis ad sedem apostolicam, a qua missi erant, recurrebant, ut novarum ecclesiarum necessitatibus subveniret. Martinus I a. 649 scripsit Amando episcopo Traiectensi: « *Codices iam exinaniti sunt a nostra bibliotheca, unde ei (latori epistolae) dare nullatenus habuimus: transcribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac civitate egredi properavit* » <sup>1</sup>. Quare anno 649, quo tot scripta patrum et haereticorum e bibliotheca scrinii Lateranensis prolata superiore capite vidimus, codices dupli nulli supererant; pluteis exinanitis generositate donandi libros ecclesiis nuper constitutis. Codicum autem ex ea bibliotheca transcribendorum potentibus copia fiebat. Igitur bibliotheca sedis apostolicae hoc tempore fuit tanquam centrum, unde libri sacri diffusi sunt per Europam praesertim septentrionalem.

<sup>1</sup> Concil. ed. Mansi X p. 1183.



Potissimum vero Angli nova monasteria condentes, libros omnis litteraturae Roma arcessere, et sive dono sive pecunia sibi comparare toto saeculo septimo non destiterunt. Beda in vitis sanctorum abbatum narrat Benedictum, qui et Biscopus est appellatus, quinquies Romam venisse (a. fere 653, 658, 671, 678, 684) tum pietatis tum doctrinae causa; et tertio itinere (a. 671) Roma in Angliam « *retulisse libros omnis divinae eruditionis non paucos vel pretio emptos vel dono largitos* »; quarto (a. 678) « *innumerabilem librorum omnis generis copiam* »; quinto (a. 684) « *magnam copiam voluminum sacrorum* »; denique morti proximum « *bibliothecam, quam de Roma nobilissimam copiosissimamque advexerat, ... sollicite servari integram praecipisse* » <sup>1</sup>. Qua in bibliotheca *cosmographorum codex mirandi operis Romae emptus* magno in pretio habebatur <sup>2</sup>. Neque tantum librorum *donis locupletatus* Benedictus Romae est, sed et *non minori sanctarum imaginum munere ditatus*, itineribus quarto et quinto <sup>3</sup>. Hoc in genere notandae sunt *imagines de concordia veteris et novi testamenti, ... verbi gratia Isaac ligna, quibus immolaretur, portantem et Dominum crucem, in qua pateretur, aequae portantem* <sup>4</sup>. Haec concordia utriusque foederis figuris expressa sequiore aevo dicta est *Biblia pauperum*; et primo manuscriptis pictisque exemplaribus, deinde xylographicis tabulis multiplicata. Eius origines antiquissimae in bibliothecis ecclesiae Romanae et in officinis urbanis antiquariorum et pictorum inde a saeculo saltem septimo sunt quaerendae. Imágenes vero Christi servatoris, Mariae virginis, apostolorum et histo-

<sup>1</sup> Beda l. c. ed. Migne Patrol. Lat. XCIV p. 716, 717, 720, 721.

<sup>2</sup> L. c. p. 725.

<sup>3</sup> L. c. p. 717.

<sup>4</sup> L. c. p. 720.

riarum utriusque foederis in parietibus aedium sacrarum depictae sunt ad exemplaria Romae confecta et inde in Angliam portata; id quod expressis verbis Beda testatur (l. c.). Huius modi picturarum in ipsa Anglia insigne exemplum praebet codex Cambricensis CCLXXXVI, quem initio huius capituli commemoravi, ornatus diagrammatibus historiae evangelicae <sup>1</sup>. Hunc codicem Romae confectum esse Angli opinantur; quae opinio videtur valde probabilis.

Benedicto successit Ceolfridus, qui *pandectem* sacrorum librorum *vetustae translationis de Roma attulit*. Iussit autem fieri *tres* similes *pandectes*, sed *novae translationis*; quorum unum, quum senex Romam rediret, *secum pro munere sumpsit*, offerendum Petro apostolo <sup>2</sup>. Ceolfridum in itinere mors interceptit apud Lingonas (a. 716); discipuli eius perrexerunt usque Romam obtuleruntque *ecclesiae s. Petri pandectem a beato Hieronymo in Latinum ex Hebraeo vel Graeco fonte translaturam* <sup>3</sup>. Hunc ipsum pandectem agnovi in celeberrimo codice Amiatino, nunc Laurentiano. Eius enim initio praefixum est epigramma partim refictum et in lituris rescriptum saeculo nono, deleto nomine prioris dedicantis; quod Bandinius <sup>4</sup> coniectura restituit Servando Casinati discipulo Benedicti patriarchae monachorum <sup>5</sup>. Haec ut attentius examinarem, auctor fuit Nicolaus Anziani v. c. praefectus bibliothecae Laurentianae. Qui quum propositum disserendi de origine codicis pretiosi in aliud tempus distu-

<sup>1</sup> V. Garrucci, l. c. tav. 141.

<sup>2</sup> Beda, l. c. p. 721.

<sup>3</sup> L. c. et De temp. rat. c. 66 (ed. Migne XC p. 571).

<sup>4</sup> Bibl. Leopold. Laur. catal. cod. I p. 701-732.

<sup>5</sup> Cf. Lachmann, Novum testam. p. XXVII; Tischendorf, Biblia Lat. veteris testam. Hieronymo interprete 1873 p. VIII et seqq.

lerit, cupit ut a me ratio reddatur indiciorum, quibus nomen et dedicationem Ceolfridi lituris huius epigrammatis subesse cognovi.

Epigrammatis litterae *unciales* scriptae sunt aliae prima, aliae secunda manu in litura. Quas secunda manus interpolavit, inclinatatas exhibeo :

† CENOBIVM AD EXIMII MERITO  
 VENERABILE SALVATORIS  
 QVEM CAPVT ECCLESIAE  
 DEDICAT ALTA FIDES  
 5     PETRVS LANGOBARDORVM  
 EXTREMIS DE FINIB. ABBAS  
 DEVOTI AFFECTVS  
 PIGNORA MITTO MEI  
 MEQVE MEOSQ. OPTANS  
 10     TANTI INTER GAVDIA PATRIS  
 IN CAELIS MEMOREM  
 SEMPER HABERE LOCVM

Quum intra codicem semel legatur: O KYRIC CEPBANAΔOC AIΠO-IHCEN (sic)<sup>1</sup>, Bandinius autumans hunc Servandum, non scriptorem partis, cui proprium nomen appinxit, sed totius voluminis auctorem vel oblatozem fuisse, censuit unum eundemque habendum cum Servando monacho Casinensi. Praeterea notavit initio v. 5, eraso nomine primi oblatoris, litteram E intactam mansisse, quae erat nominis deleti secunda; ideoque restituit: *SERVANDVS LATII* EXTREMIS DE FINIB. ABBAS. Initio vero carminis prima littera et pars alterius antiquae sunt; indeque exsculpsit

<sup>1</sup> Ad finem Exodi et calcem tabulae capitulorum Levitici; v. Zangemeister, *Exempla codicum Lat. tab. XXXV.*

syllabam CV. In pentametro mentio fit *capitis ecclesiae*, id est Petri apostoli. Bandinius igitur felici ingenio restituit: CVLMEN AD EXIMII MERITO VENERABILE PETRI. Quam sagax et firma haec a Bandinio excogitata primi hexametri restitutio est, tam levis et vacillans est coniectura, qua nomina Servandi et Latii in alterum hexametrum (v. 5) sunt intrusa. Nicolaus enim Anziani recte vidit spatium liturae longius esse, quam cui implendo sufficiant vocabula SERVANDVS LATII. Neque nomen Servandi exaratum ad calcem unius partis voluminis totum *pandectem* iusto sibi iure vindicat.

Mihi vero reputanti *extremis de finibus* dici consuevisse, non Latinos Urbi propinquos, sed *toto divisos orbe Britannos*, succurrit supplendum esse BRITONVM EXTREMIS DE FINIB. ABBAS<sup>1</sup>; et memor codicis a Ceolfrido oblato Petro apostolo, utrum aliqua vestigia nominis eius deprehendi possent, attente examinavi. Quae vere et a me deprehensa et a Nicolao Anziani aliisque peritis Italis ac Germanis recognita sunt et attenta observatione confirmata. Praeter enim quam quod litterae CEOLFRIDVS BRITONVM spatium liturae exactissime complent, primae litterae C vestigia apparent; littera E integra superest; quartam litteram supra lineam excucurrisse altior litura demonstrat, ea porro fuit L, cuius apex in hoc epigrammate semper altius porrigitur; versa vice quintam litteram inferius protensam litura indicat, qualem antiquarius semper effinxit litteram F. Cuncta haec casu mere fortuito tam bene congruere cum nomine CEOLFRIDVS miraculi instar esset. Ne-

<sup>1</sup> Non diffiteor saeculo septimo *Brittones* (non *Britones*) plerumque scribi, et primam syllabam produci consuevisse: sed antiquiore aetate *Britones* passim scriptum est, et versus gratia Ceolfridus potuit primam syllabam corripere, quae brevis est in *Britannus*.

que desunt argumenta affinitatis, quae intercedit inter codicem Amiatinum et Anglicanos fere eiusdem aetatis, itemque Cassiodorianos <sup>1</sup>. Porro Cassiodorius in *pandecte Latino corporis grandioris* depingendum curavit tabernaculum et templum; quorum formas eum ab antiquis Iudaeis didicisse Beda autumabat <sup>2</sup>, et huius Cassiodorianae picturae ductu in Anglia scripsit de tabernaculo et de templo Salomonis. Eiusdem generis picturae extant in *pandecte* Amiatino; ad exemplum fortasse earum, quas Beda vidit in Cassiodorii *pandecte Latino corporis grandioris*, qualis codex est Amiatinus <sup>3</sup>. Quae subtiliter persequi huius loci non est. Satis sit indicasse originem et tempus historice, ni fallor, testata codicis insignissimi, cuius auctoritas in crisi lectionis vulgatae sacrorum biblicorum tantopere celebratur; et quo nullum antiquius mihi videtur extare e tot libris veterum bibliothecarum ecclesiae Romanae.

<sup>1</sup> V. Corssen in *Jahrb. f. prot. Theol.* IX (1883) p. 619; Delisle in *Bibl. de l'école des chartes* 1885 p. 318; Samuel Berger in *Bull. critique* 1 Mars 1886 p. 85 et seqq.

<sup>2</sup> De tabernac. II, 12; De templo Salom. c. 16: cf. Cassiod. in Ps. XIV v. 1, ed. Garet II p. 51.

<sup>3</sup> Pictura quidem templi et tabernaculi in codice Amiatino non omni ex parte respondet descriptioni Cassiodorii a Beda explicatae, neque *triplicem porticum ordinem* exhibet: ea videtur expressa delineatione imperfecta.

## CAPUT X.

De scrinio et bibliotheca sedis apostolicae  
saeculis octavo, nono, decimo.

De scrinio, bibliotheca, codicibus sedis apostolicae et ecclesiarum Urbis saeculis octavo, nono, decimo, quae supersunt haud multa, pleraque valde nota, testimonia non tam referenda ex integro nunc sunt, quam ordinanda. Hoc enim maxime tempore *confessio* Petri apostoli et basilica Vaticana habita sunt loco scrinii sanctioris; quo fit ut in huius praesertim aetatis monumentis scrinium et bibliotheca patriarchii Lateranensis attente discernenda sint a scrinio *confessionis* s. Petri et a bibliotheca peculiari basilicae Vaticanae.

Ineunte saeculo octavo, vel exeunte septimo, primum apparet *cura* bibliothecae a Sergio I demandata Gregorio subdiacono atque sacellario<sup>1</sup>. Quae cura auctoritati primicerii initio subdita certe fuit: deinde vero assumptis ad id munus viris magnae dignitatis, plerunque episcopis suburbicariis, bibliothecarius sui iuris effectus est, subscripsitque una cum primicerio epistolas pontificum; denique auctus titulo *cancellarii* munia primicerii notariorum absorpsit. A Gregorio curatore bibliothecae (qui postea ad sedem apostolicam euectus est anno 715) I. B. Pitra bibliothecarius sedis apostolicae orditur seriem antecessorum suorum, item *cancellariorum* cum scriniariis, totam refictam et longe pleniorum ea, quam prae-

<sup>1</sup> Lib. pont. in Gregorio II § I ed. Vignoli II p. 14.

eunte Panvinio Assemani confecerunt inserueruntque praefationi ad catalogos codicum Vaticanorum <sup>1</sup>. Cura a Sergio I commissa Gregorio sacellario, distincta a munere et dignitate primicerii, indicio est, eam scrinii partem, quae peculiari nomine bibliotheca dicebatur, ad id culmen amplitudinis septimo saeculo exeunte pervenisse, ut propriis administris et curatore visa sit indigere. Anno 784 Hadriano I sedenti pro tribunali ante Stephanum sacellarium adstitit Theophylactus, quem primum fortasse omnium, quotquot ad hanc diem innotuerunt, absolute *bibliothecarium* dici comperimus, in album eorum nondum relatum <sup>2</sup>.

De scrinio vero Beda haec refert ad a. 730: « *Nothelmus* (Britannus) *Romam veniens, nonnullas ibi beati Gregorii papae simul et aliorum pontificum epistolas, perscrutato eiusdem sanctae ecclesiae Romanae scrinio, permissu Gregorii (III) pontificis invenit* » <sup>3</sup>. Zacharias, qui Gregorio III successit, « *ante scrinium Lateranense fecit porticum atque turrem, portas aereas atque cancellos . . . et super turrim triclinium et cancellos aereos construxit, ubi et orbis terrarum descriptionem depinxit atque diversis versiculis ornavit* » <sup>4</sup>. Haec similia sunt ornamentis bibliothecarum veterum; et inde discimus, quam

<sup>1</sup> Pitra, Anal. noviss. I p. 279 et 334-49; cf. Marini, *Papiri* p. 221. « Bibliothecae Romanae ecclesiae custos Leo episcopus » a circ. 872 memoratur in Flodoardi, Hist. Rem. eccl. III ap. Pertz, Monum. Germ. hist., Script. XIII p. 516, 39. Benedictus IX a. 1037 ad Petrum episcopum Silvae Candidae scripsit et sollemni privilegio decrevit: « *non solum te, sed et omnes tuos successores episcopos, bibliothecarios sedis nostrae esse perpetuo apostolica auctoritate censemus* ». (Marini, *Papiri* p. 83).

<sup>2</sup> Cod. Carol. n. LXXII ed. Cenni, Mon. domin. pont. I p. 427.

<sup>3</sup> Migne, Patrol. Lat. XCV p. 22.

<sup>4</sup> Lib. pont. in Zacharia § XVIII ed. Vignoli II p. 74 75.

nobiles aedes scrinio adsignatae essent in patriarchio. Eodem saeculo redit mentio *scrinii* in concilio Romano anni 745, quo de scriptis damnatis Aldeberti episcopi Hadrianus I pronuntiavit: *in scrinio nostro reserventur*; quemadmodum de scriptis haereticorum ab antiquissima aetate factum esse vidimus. Item in Libro pontificali, vita Hadriani I, legitur acta Graeca authentica synodi Nicaenae II iussu pontificis in Latinum translata esse et utraque lingua « *in sacra bibliotheca pariter recondita ad aeternam orthodoxae fidei memoriam* » <sup>1</sup>. Quum testimoniis supra allatis certo constet acta conciliorum authentica condita esse in scrinio ecclesiae Romanae, *bibliothecam sacram* hoc loco commemoratam non aliam, quam, quae archivo iuncta erat, intelligi debere manifestum est; neque iure Bethmannus <sup>2</sup> eam quaesivit in basilica s. Petri, cui Zacharias donavit *codices domus suae proprios* et in *armario* disposuit liturgicis lectionibus adhibendos <sup>3</sup>.

In basilica Petri apostoli, praeter codices liturgicos aliosque proprios bibliothecae eius, acta et *munimenta* sanctiora ritu sollempni recondebantur. *Cautiones* enim omnium episcoporum ipsorumque antistitum sedis apostolicae, id est professiones fidei *scriptae a notariis in scrinio* (Lateranensi), *deponebantur in sacratissima confessione beati Petri apostoli ad corpus eius conservandae* <sup>4</sup>: decreta ele-

<sup>1</sup> L. c. p. 230 in Hadriano I § LXXXVIII.

<sup>2</sup> Pertz, *Archiv* XII p. 407.

<sup>3</sup> Lib. pont. in Zacharia § XIX, l. c. p. 75: Bartolini (card.), *Di s. Zacharia papa*, Roma 1879 p. 213.

<sup>4</sup> Lib. pont. in Constantino § II, l. c. p. 3: Lib. diurn. ed. de Rozière form. LXXXIII, LXXXV, p. 182, 202, 203.



ctionum condebantur in *sacro scrinio Lateranensi* <sup>1</sup>. Donationum vero regalium facta esse exemplaria authentica splendide exarata, ut deponerentur ad corpus Petri apostoli, ibidem sancte custodienda, huius aetatis historia et monumenta testantur <sup>2</sup>. Cuius generis exemplar in Vaticano tabulario etiam nunc superest; *privilegium* nempe Ottonis I inscriptum membranae purpura violacea illitae litteris aureis; quod Theodorus Sickel luculento commentario illustravit, eius sinceritate doctissime asserta et vindicata <sup>3</sup>.

*Sacrum autem scrinium* saeculo decimo appellatum esse *archivum s. Petri* et situm in basilica Vaticana, collectum est e diplomate Agapiti II dato a. 948; in quo legitur: « *Notum est literisque apud nos commendatum quibus ecclesiarum locis dignitas pallii ab hac apostolica sede debeat... sicut... inventis quibusdam exemplaribus, chartae vetustate admodum attritis, in archivo s. Petri reperimus* »: et paullo infra, confirmata translatione iuris metropolitici a sede Laureacensi ad Salisburgensem, Agapitus in haec verba concludit: « *haec testatur annosa memorialis sacri scrinii historia* » <sup>4</sup>. Sed Agapitus ineminit *archivi s. Petri*, agens de censa *ecclesiarum quibus dignitas pallii debetur*. Porro quum pallia sumerentur *de corpore s. Petri*, id est de arca posita supra *cataractam*

<sup>1</sup> Lib. diurn. ed. cit. form. LXXXII p. 173; cf. Mabillon, Mus. Ital. I P. II p. 38.

<sup>2</sup> Lib. pont. in Stephano II § XLVII; in Hadriano I § XXXVII-XLIII, l. c. p. 120, 189-194; Deusdedit, Coll. can. lib. III, 149 ed. Martinucci p. 313 et seqq.

<sup>3</sup> Sickel, *Das privilegium Otto I für die Röm. Kirche vom Jahre 962*, Innsbruck 1883.

<sup>4</sup> Lambecius, Bibl. Vindob. lib. II c. 8 (2 edit. II p. 331): Jaffè, Regesta ed. secundae p. 460 n. 3644.

sepulcri eius in *confessione* basilicae Vaticanae, statim intelligitur cur in eius basilicae archivo repositae sint tabulae census ecclesiarum, quae honore pallii potiebantur. Epistolae vero de iuribus episcoporum et metropolitaram in regestis *annosis* (antiquis) *sacri scrinii* (Lateranensis) *memoriali historiae* servabantur.

Saeculis octavo et nono haud intermissum est codices dari petentibus sumptos e bibliothecis sedis apostolicae et ecclesiarum Urbis, eorumque idcirco nova exemplaria confici, ac vicissim oblata recipi; ita ut Urbs Roma habita sit tanquam emporium librorum tum Latinorum tum Graecorum, tum sacrae tum profanae litteraturae. Paulus I a. 757 ad Pipinum regem scripsit: « *Direximus . . . et libros, quantos reperire potuimus, id est Antiphonale et Responsale, insimul artem grammaticam Aristotelis, Dionysii Areopagitae libros, Geometricam, Orthographiam, Grammaticam, omnes Graeco eloquio scriptores, necnon et horologium nocturnum* <sup>1</sup>. Notissimi vero sunt, neque nunc singillatim memorandi, libri liturgici Gregoriani Carolo Magno petenti dati ab Hadriano I. E quorum numero *liber sacramentorum* in exemplaribus insignioribus aetatis Carolinae, titulo fronti appicto, dicitur *editus ex authentico libro bibliothecae*

<sup>1</sup> Cod. Carolin. n. XXV ed. Cenni, Mon. dom. pont. I p. 148. Cennius monet in epitaphio Pacifici archidiaconi Veronensis una cum codicibus ecclesiae datis, mentionem fieri *horologii nocturni* ab eo *primum inventi, quod nullus ante viderat*: sed iam ante quinquaginta fere annos *horologium nocturnum* una cum libris Roma ad Pipinum esse transmissum constare ex hac epistola Pauli I. Longe autem antiquiora sunt horologia nocturna, quibus bibliothecam coenobii Vivariensis Cassiodorius instruxit (v. supra p. LXI). Quare Pacificus Veronensis horologium nocturnum primus non invenit, sed eius novum artificium excogitavit. (De Pacifico et eius bibliotheca v. Giuliani in *Archivio Veneto* XIX p. 9 et seqq.).

*cubiculi* (s. *Gregorii papae*)<sup>1</sup>. Praesertim antiphonaria instructa notis musicis Pipino, Carolo Magno, Galliarum ecclesiis petentibus tam largiter a sede apostolica donata sunt, ut Gregorio IV (a. 827-839) vix unum exemplar eius libri praesto esset, quo Ludovico imperatori posset satisfieri<sup>2</sup>. Codicem quoque canonum, qui dicitur collectio Hadriana, Roma ad Carolum Magnum esse transmissum praefixum carmen testatur<sup>3</sup>. Eodem tempore epistolae e regestis Gregorii Magni Romae selectae sunt et vulgatae<sup>4</sup>. Hildebaldus episcopus Coloniensis (vita functus anno 819) bibliothecam ecclesiae suae ditavit codicibus, quos describi iussit e libris in eius usum Roma missis<sup>5</sup>. Sic anno fere 855 Lupus abbas coenobii *Ferrières* petiit a Benedicto III « *codicem reverendae veritatis commentariorum beati Hieronymi in Hieremiam post sextum librum usque in finem; postquam exscriptus fuerit sine dubio remittendum* »; item « *Tullium de oratore, duodecim libros institutionum oratoriarum Quintiliani . . ., Donati commentarium in Terentium . . ., cuncta fideliter restituenda* »<sup>6</sup>. Denique exeunte saeculo decimo Gerbertus Remensis (qui postea Silvester II dictus est) scripsit ad quemdam

<sup>1</sup> V. Lambec. *Bibl. Vindob.* II p. 299; qui censebat codicem eo loco descriptum (*Theol. Lat.* 149) esse ipsum exemplar ab Hadriano I missum ad Carolum Magnum; cuius rei fides penes auctorem sit. Similem codicem eadem inscriptione (*ex authentico libro bibliothecae cubiculi etc.*) notatum vidi in *bibl. Heidelbergensi* n. 940. Cf. epistolam Hadriani ad Carolum M. in *cod. Carol.* n. LXXXII, ed. Cenni, l. c. p. 525.

<sup>2</sup> V. Thomasi, *Opp.* ed. Vezzosi VII p. 64 et seqq.

<sup>3</sup> V. Maassen, *Bibl. Lat. iur. canon.* p. 184, 233, 255, 266.

<sup>4</sup> V. Ewald in *Neues Archiv* III p. 439 et seqq.

<sup>5</sup> V. Jaffè, Wattenbach, *Eccl. Colon. codices mss.*, Berolini 1874 p. IV.

<sup>6</sup> Muratori, *Antiq.* III p. 835.

amicum: « *nosti quanto studio librorum exemplaria undique conquiram, nosti quot scriptores in urbibus aut in agris Italiae passim habeantur* »; ideoque *bibliothecam assidue comparans potissimum Romae ac in aliis Italiae partibus auctorum exemplaria multitudine nummorum redemit*<sup>1</sup>. Gerbertus veteris praesertim litteraturae auctores Romae et tota Italia conquisivit: quare Stephano diacono ecclesiae Romanae scripsit: « *Suetonios Tranquillos Quintosque Aurelios cum ceteris, quos nosti, . . . remittes, et quae nomini tuo convenientia paremus edisces* »<sup>2</sup>. Nempe pro Suetonio et Quinto Aurelio (Symmacho) vicem rependens Stephano diacono *parabat* Luciani presbyteri librum de miraculis s. Stephani protomartyris vel aliquid simile.

Hac quoque aetate, quemadmodum ante actis saeculis, ecclesia Romana libros sacros non tantum dedit, sed et undique accepit. Carolus Magnus psalterium Hildegardae uxoris vita functae dono misit Hadriano I a. 783<sup>3</sup>. Agnellus Ravennas (a. fere 839) queritur *grande volumen mire exaratum* iussu Maximiani episcopi (a. 546-553), quo continebatur *quidquid ad ecclesiae ritum pertinet, Romam transmeasse*<sup>4</sup>. Hrabanus Maurus Gregorio IV (a. 827-844) obtulit librum de sancta cruce « *conscriptum tempore prisco, Principi apostolico munera missa Petro* »<sup>5</sup>. Michael imperator « *misit ad beatum Petrum apostolum per manum Lazari monachi et pictoriae artis nimie*

<sup>1</sup> Epist. XLIV, CXXX; loca epistolarum Gerberti, quae referuntur ad bibliothecam eius, excerpit et collegit Becker, Catal. bibl. antiqui p. 77-79.

<sup>2</sup> Epist. XL.

<sup>3</sup> V. Blume, l. c. III p. 16.

<sup>4</sup> Agnelli, Vitae pont. Rav. ed. Waitz in Script. rer. Lang. et Ital. saec. VI-IX p. 332; cf. Bacchini ad Agnellum II p. 101, 117.

<sup>5</sup> Hrabani Mauri, Carmina in Duemmler, Poet. Lat. medii aevi II p. 161.

*eruditi . . . evangelium* », Graecis certe litteris scriptum eiusdemque facile Lazari picturis illustratum <sup>1</sup>. Permultos vero codices Graecos, praesertim liturgicos, putandum est Romam pervenisse, quum magno numero clerici et monachi furore iconoclastarum expulsi e provinciis imperii Byzantini confugerent ad ecclesiam Romanam et reciperentur in monasteria urbana. Huius modi codex **ΕΟΡΤΩΝ Κ(αὶ) ΑΓΙΩΝ ΟΛΩ ΤΩ ΕΤΟΥΣ** (kalendarium festorum et sanctorum totius anni) memoratur in fragmento nondum edito donationis lapidi incisae factae monasterio s. Andreae ad clivum Scauri, dum ibi Graeci degebant <sup>2</sup>. Ceterum in Romana ecclesia saeculo etiam tum nono et subsequutis diu temporibus sollemne fuit bis in anno lectiones sacras fieri tum latine tum graece: quare Benedictus III codicem, *in quo Graecas et Latinas lectiones die Sabbato sancto Paschae simulque et sancto Pentecostes subdiaconi legere soliti erant, raptum vel perditum simili volumine splendide confecto restituit* <sup>3</sup>. Eius mentionem idcirco feci, quod sermo inciderit de codicibus Graecis oblatis sedi apostolicae vel utcunque Romam perlatis. Plurimos porro codices sacros et liturgicos liberalitate pontificum et quoruncunque e clero vel populo hac aetate oblatos basilicis et aedibus sacris urbanis commemorant auctores extremae partis Libri pontificalis, itemque tituli donationum incisi lapidibus; quorum omnium recensionem consulto omitto. De celeberrimo codice sacrorum bibliorum aetatis

<sup>1</sup> Lib. pont. in Benedicto III § XXXIII ed. Vignoli III p. 166, 167.

<sup>2</sup> Suaresii schedae in cod. Vat. 9140 f. 212; cod. Barb. XXXVIII, 100 (charta non numerata): alios codices citare omitto. De monachis Graecis in coenobio s. Andreae ad clivum Scauri v. Ioannem diac. Vita s. Greg. M. IV, 82, 83; Mabillon, Acta ss. ord. s. Benedicti I p. 476; Mittarelli, Ann. Camald. I p. 68.

<sup>3</sup> Lib. pont. in Bened. III § XXXII, l. c.

Carolinae, qui servatur in basilica Pauli apostoli, taceo; expectans quae brevi scripturus est Leopoldus Delisle, omnis doctrinae bibliographicae, praesertim vero litteraturae codicum Alcuinianorum, summus magister.

Exeunte saeculo decimo libri liturgici, tanquam tributum, praebendi *palatio Lateranensi* imperati sunt aliquibus monasteriis subiectis iuri sedis apostolicae et ab ea honore et privilegio donatis. Anno 997 Gregorius V sanxit, ut abbas monasterii Augiae divitis *in sui consecratione, pensionis nomine*, offerret: *codicem sacramentorum I, epistolarum I, evangeliorum I*<sup>1</sup>. Quos addictos esse sacello pontificio *palatii Lateranensis* indicat adnotatio huius pensionis librorum scripta non *in tomis charticis* tantum, sed et *in Missali Lateranensis palatii*<sup>2</sup>.

## CAPUT XI.

### **Codicum ecclesiae Romanae ingens iactura: archivi sedis apostolicae pars in palatio Lateranensi pars in turri chartularia saeculo XI.**

Thesaurus ingens et pretii vere inaestimabilis librorum, regestorum, chartarum ante saeculum undecimum congestus in *scrinio, bibliotheca, vestiario sedis apostolicae, in confessione et archivo s. Petri*, item codicum praesertim liturgicorum tum Latini ritus tum Graeci pertinentium ad singulas *basilicas, titulos, diaconias, monasteria* Urbis funditus periit. Ab interitu vix quidquam esse servatum

<sup>1</sup> Deusdedit, Coll. can. III, 149 ed. Martinucci p. 321: Jaffè, Reg. 2 ed. n. 3880, 3881.

<sup>2</sup> Deusdedit, l. c.

nunc demum coepit intelligi ac recognosci. Opinio enim invaluerat magnam vel non spernendam saltem partem codicum antiquorum ecclesiae Romanae receptam esse in bibliothecam et tabularium arcanum aedium Vaticanarum. Mabillonius, Tiraboschius et eos sequutus Blumius sibi persuasere bibliothecas, quae ferebantur institutae ab Hilario saeculo V ad baptisterium Lateranense, coaluisse cum thesauris librorum Vaticanis; cura sive Zachariae, qui codices *lectionarios* in *armario ordinavit*; sive Xysti IV, qui novam bibliothecam palatinam constituit<sup>1</sup>. Sed ne unus quidem codex octavo saeculo antiquior e bibliothecis Hilari, Agapeti, Lateranensi pervenit ad Vaticanam<sup>2</sup>. Libri *lectionarii* basilicae Vaticanae, qui

<sup>1</sup> V. Blume, *Iter Ital.* III p. 14.

<sup>2</sup> E codicibus Latinis antiquissimis, id est octavo fere saeculo antiquioribus, quorum exempla edidit C. Zangemeister et G. Wattenbach, duo tantum videri aliquo modo possunt iuris ecclesiae Romanae: celeberrimus Hilarii Pictaviensis (tab. LII) servatus in archivo basilicae Vaticanae; et Amiatinus (tab. XXXV) olim oblatus Petro apostolo. Codex autem Hilarii est origine Caralitanus, quippe collatus *Karalis* in Sardinia (non *Kasulis* in Africa, quemadmodum plerique legerant) anno 509-510; neque antiquitus, sed post multa demum saecula pervenit ad basilicam Vaticanam, testamento Iordani Ursini cardinalis, una cum ceteris libris ab eo collectis exeunte saeculo XIV, ineunte XV (vide indicem horum librorum editum a Cancellario, *De secret. Basil. Vat.* II p. 910: nomen Hilarii tacetur, quod codex primis foliis careret). Amiatinus inde a saeculo IX migravit Roma Amiatam; ubi in coenobio tutissimo, longe ab urbano tumultu et excidio, servatus est. Codex canonum Vaticanus 1342 a Balleriniis dicitur « *antiquissimus, et unus ex his esse creditur, qui ad veterem bibliothecam Lateranensem spectabant* » (Opp. s. Leonis tom. III p. CXVI). Decimi fere saeculi est; neque indicium nunc ullum praefert bibliothecae Lateranensis, ad quam spectasse dicitur. Denique *Liber diurnus* scriptus ineunte saeculo IX e bibliotheca Sessoriana venit in archivum Vaticanum, et habetur tanquam fere unicus codex eius aetatis origine Romanus nunc Romae superstes (v. Sickel, l. c. p. 21).

a Grimaldo aliisque habiti sunt tanquam Zachariani <sup>1</sup>, palaeographiam exhibent aetate Zachariae, id est saeculo octavo, multo recentiore. Neque basilica Lateranensis *lectionaria* servat antiquiora saeculo decimo inclinato vel undecimo <sup>2</sup>. Codices *lectionarii* superstites ecclesiae Romanae antiquissimi omnium, quos ad hanc diem me videre contigit, sunt Vaticani 3835, 3836 alter alterum continuans; complectuntur sermones Leonis Magni, Augustini, aliorum exaratos litteris uncialibus saeculo fere octavo, ad usum *basilicae apostolorum Philippi et Iacobi*, manu Agemundi presbyteri qui se commendat principi apostolorum <sup>3</sup>. Aetatis paullo recentioris videtur alter codex sermonum s. Augustini Vallicellanus A. 14, item scriptus litteris uncialibus, quem in stationibus sollemnibus urbanis adhibitum esse indicant adnotationes adscriptae marginibus a Ioanne subdiacono ecclesiae Romanae <sup>4</sup>. Decimi fere saeculi est codex *passionarius* omnium eiusdem generis, qui in vetere serie Vaticana censiti sunt, antiquissimus n. 1189; fuit coenobii s. An-

<sup>1</sup> V. Bartolini (card.), *Di s. Zaccaria papa* p. 213.

<sup>2</sup> De codice *passionario* antiquiore Lateranensi v. Sauppe in Eugippii Vita s. Severini (Monum. Germ. tom. I Berol. 1877); Knöll in actis min. acad. Vindob. (a. 1879) XCV p. 448 et seqq.; de aliis codicibus *lectionariis* Lateranensibus de Azevedo, *Missale monast. Lat.* p. XI et seqq.

<sup>3</sup> De horum codicum praestantia dixerunt Ballerini in editione operum s. Leonis Magni et Angelus Mai, *Nova patrum bibl.* I p. 111, qui edidit specimen palaeographicum et precem Agemundi presbyteri scriptoris exaratam in extrema pagina (f. 329) codicis 3835 (Mai, l. c. errore typothetae 1835). Adnotatio: BASILICA (sic) APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI iisdem litteris eademque manu appicta est, qua obsecratio scriptoris et totus codex. Similis est scriptura uncialis codicis Vallic. B. 25. 2 (v. Vettori, *Diss. philol.* p. 88, 89) oblatis Laurentio martyri; sed de eius origine Romana non liquet.

<sup>4</sup> V. Reifferscheid, *Bibl. patrum Italica* I p. 179-181.



dreae ad clivum Scauri. Taceo de celeberrimo codice bibliorum Carolino, idcirco fortasse servato, quod seiunctim a ceteris libris repositus esset in sacrario basilicae Pauli apostoli tanquam scriptus manu Hieronymi<sup>1</sup>. De codice bibliorum adtributo saeculo X, qui fuit basilicae s. Mariae ad martyres, consulendus Carolus Vercellonius<sup>2</sup>. Alii fortasse libri origine vel dono et usu iuris ecclesiae Romanae, antiquiores saeculo decimo vel undecimo, agnosci poterunt excussis singillatim codicibus urbanis tum Vaticanis tum aliarum bibliothecarum Urbis et totius Europae. Sed nullum extare qui aetate superet, vix ullum qui aequet codices *lectionarios* scriptos ab Agemundo presbytero, mihi videor fere certa ratione posse affirmare. Denique de codicibus vetustis tabularii Vaticani nil attinet dicere: vulgo enim notum nunc est eius tabularii *regesta authentica* incipere a pontificatu Innocenti III, antiquiora cuncta periisse.

Quo civili tumultu, hostili direptione, incendio, vel quibus casibus variis tanta vastatio scrinii et bibliothecae sedis apostolicae, codicum quoque omnium antiquiorum saeculo octavo et vix non omnium antiquiorum undecimo Romae facta sit, annales insequentium aetatum prorsus tacent. Clades, quas passa est Urbs saeculo praesertim undecimo, maximis certe damnis affecerunt thesauros et bibliothecas aedium sacrarum. Sed bibliotheca Lateranensis eo exeunte saeculo perstabat; teste Deusdedit, de quo nunc dicam. Neque ulla divinatione auctores historiae urbanae aevi medii assequuti sunt, quibus temporum et rerum adiunctis vetus archivum et bibliotheca sedis apostolicae ex omnium oculis evanuerint<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Petrus Sabinus in codice Veneto Marc. Lat. X, 195 f. 276.

<sup>2</sup> Variarum lectionum vulgatae editionis sacrarum bibliorum I p. LXXXVII.

<sup>3</sup> V. Gregorovius, *St. di Roma nel medio evo* III p. 177.

Densissimis tenebris nonnullam, ni fallor, lucem inspergunt, quae alio loco exposui de turri *chartularia* <sup>1</sup> et nunc paucis indicabo. Sed prius dicendum est de codice canonum confecto a Deusdedit presbytero cardinali ecclesiae Romanae a. 1086-1087 <sup>2</sup>.

Deusdedit, praeter plurima toto opere relata ex epistolis pontificum, praesertim e registis Gelasii et Pelagii I, quorum exemplaria authentica videtur adhibuisse, libro III cap. CXLVIII, CL collegit excerpta prolixissima de *regalibus*, patrimoniis, iuribus, ecclesiae Romanae e *tomis*, *registis*, *privilegiis* scrinii sedis apostolicae <sup>3</sup>; quae excerpta insigne documentum praebent historiae et status eius archivi exeunte saeculo undecimo. Sed quum eadem excerpta redeant in *Collectaneis Albini scholaris* (a. 1182-1187) <sup>4</sup> et in Cencii camerarii libro censuum ecclesiae Romanae (a. 1189-1192) <sup>5</sup>, dubitabatur, utrum Albinus et Cencius penderent a Deusdedit, an ex iisdem omnes fontibus (ut Ballerinii dicunt, l. c. p. CCCIII),

<sup>1</sup> *D' un tesoro di monete Anglo-sassoni trovato nell' atrio delle Vestali* in Fiorelli, *Notizie degli scavi* Dec. 1883.

<sup>2</sup> Cod. Vat. 3833, editus a Pio Martinucci Venetiis 1869. De hoc opere prae ceteris consulendi sunt Ballerinii, *De ant. collect. can.* P. IV c. XIV in s. Leonis opp. ed. Venet. III p. CCXCIX et seqq.; Sickel, *Das diplom Otto I* p. 62 et seqq.; Henr. Stevenson iun. in *Archivio della soc. Rom. di storia patria* VIII (1885) p. 305-398. Codex citatus e bibliotheca basilicae ss. XII apostolorum pervenit in Vaticanam post medium saeculum XVI una cum antiquissimis *lectionariis*, quorum supra memini.

<sup>3</sup> Edita sunt, ante totum opus a Martinuccio typis datum, a Borgia, *Storia del dominio temp. nelle due Sicilie*, *App.* p. 3 et seqq.

<sup>4</sup> Cod. Ottob. Vat. 3057; de quo v. Cenni, *Mon. dom. pont.* I p. XXVIII, II p. IV; Galletti, *Vita del card. Passionei* p. 232-35; Stevenson, l. c. p. 357-60.

<sup>5</sup> De hoc libro sagacissime disseruit Paulus Fabre (in *Mélanges de l'école Fr.* 1883 p. 328 et seqq.), qui eius nunc plenam editionem parat.

id est ex archivo, ebibissent; utrum demum ipse Deusdedit *tomos, regesta, privilegia* viderit, tractarit, an excerpta inde olim facta adhibuerit, auxerit<sup>1</sup>. Nuperrime vero Henricus Stevenson iunior tota re accurate expensa luculenter demonstravit Albinum pendere a Deusdedit, sed usum esse exemplari operis eius multo meliore, quam est Vaticanum 3833; Cencium pendere ab Albino; capita III, 149, 150 cum toto opere et proposito auctoris ita cohaerere, ut non nisi ipsi Deusdedit ea adtribui recte possint<sup>2</sup>. Hic igitur *tomos, regesta, privilegia* vidit et excerptis in archivis sedis apostolicae; et de eorum conditione vertente et exeunte saeculo XI testis est locupletissimus.

Inde discimus in *bibliotheca Lateranensi* extitisse *tomos charticios alios ex toto, alios ex parte nimia vetustate consumptos*<sup>3</sup>; quorum singulis praescripta erant nomina pontificum, qui vixerunt saeculis nono, decimo, undecimo. Ex his *tomis, tomulis* Deusdedit citat, nullo ordine temporum, locationes praediorum, patrimoniorum, civitatum; excerptis vero inde sumptis praefixit lemma: « *Quae secuntur sumpta sunt ex tomis Lateranensis bibliothecae* ». Similibus verbis totam seriem conclusit: « *Haec ex tomis patriarchii Lateranensis* ». Deinde sequuntur, servato ordine temporum, excerpta e regestis Honorii I (a. 625-638), Gregorii II, Zachariae, Gregorii VII, cuius citantur singuli libri regestorum usque ad octavum (a. 1080). Deusdedit usus est ipsis regestis integris et authenticis, non epistolis inde selectis et vulgatis<sup>4</sup>. Locum, quo regesta vidit, Deus-

<sup>1</sup> V. Marini, *Papiri* p. 221.

<sup>2</sup> Stevenson, l. c. p. 305-398.

<sup>3</sup> V. Stevenson, l. c. p. 384.

<sup>4</sup> De regestis Gregorii VII adhibitis a Deusdedit vide Pflugk-Harttung

dedit tacet: res ipsa et contextus indicant tum *tomos* tum *regesta* in eodem archivo extitisse. *Tomii charticii*, quos Deusdedit accurate distinguit a regestis, Marinio iudice erant *rotuli* papyracei, id est acta et instrumenta, quae dicuntur chartae et diplomata. Huius modi chartae authenticae locationum dabantur eis, quibus praedia locata erant; eorum vero *protocolla* servabantur in tabulario. Quare hi *tomii*, *tomuli* non nisi *protocolla* locationum erant, distincta a regestis epistolarum. Deusdedit praeter *tomos* citat *tres chartas armarii Lateranensis palatii*. Sed quum statim sequatur donatio facta *sub Ioanne XV papa in alio tomo*, et citetur quoque *charticium privilegium*, quo Leo IX locavit *comitatum Ariminensem*, locationes relatae in *protocolla* a *chartis* et *privilegiis* liquido non distinguuntur. Nempe *protocolla* descripta non erant in paginis continuis, sed singillatim in chartulis sive schedis; quare Albinus scholaris opposuit *scedulas et protocolla quaternis* librorum<sup>1</sup>. Hinc inter *tomulos charticios protocollorum* et *tomos* donationum ac privilegiorum quaedam videtur suboriri confusio. Bibliotheca vero, in qua hi *tomii* extabant, seiungi minime debet ab archivo seu scrinio Lateranensi; quippe cuius, non minus quam *regesta*, *tomii* et *protocolla* propria essent. Sed quum hoc tempore praeesset archivo *bibliothecarius et cancellarius*<sup>2</sup>, tum scrinia *tomorum*, tum armaria regestorum et codicum a Deusdedit appellata sunt *bibliotheca patriarchii Lateranensis*<sup>3</sup>.

in *Neues Archiv* VIII p. 229 et seqq.; Ewald, l. c. p. 420. Contra dixit Löwenfeld, l. c. X p. 309 et seqq.; sed pro sua et Ewaldi sententia iterum scripsit Pflugk-Harttung, l. c. XI p. 143 et seqq.

<sup>1</sup> V. Stevenson, loc. c. p. 357.

<sup>2</sup> V. Pitra, l. c. p. 342.

<sup>3</sup> In aliam sententiam discessit vir harum rerum peritissimus Pflugk-Hart-

*Tomos, tomulos charticios* Deusdedit quidem omnes recenset tanquam pertinentes ad *bibliothecam Lateranensem, patriarchium Lateranense*: eorum vero nonnullos dicit se vidisse *iuxta Palladium, in chartulario iuxta Palladium, in eodem chartuario*. Quae vocabula, a doctissimo quoque Caietano Marinio perperam interpretata de *palatio* Lateranensi, designant *turrim chartulariam* sitam ad s. Mariam novam et arcum Titi sub colle Palatino et monasterio, quod medio aevo dicebatur *Palladium*. Ibi episcopium aedificari coeptum a Ioanne VII deinde munitum ita est, ut saeculis undecimo et duodecimo haberetur *firmissima munitio*, in quam se recepit Urbanus II a. 1088<sup>1</sup>; et *locus tutissimus curiae*<sup>2</sup>. Ea munitio tuenda praesidio militari commissa est Frangipanis *vassallis* ecclesiae Romanae eiusque quodam modo *castellanis*<sup>3</sup>.

His consideratis intelligitur, quo modo *turris chartularia* fuerit iuris *patriarchii Lateranensis*, et bibliothecae eius pars sive repositorium; et cur *tomos* in ea repositos Deusdedit recensuerit una cum *tomis bibliothecae et patriarchii Lateranensis*. Inde historia veteris archivi ecclesiae Romanae temporibus turbulentissimis valde illustratur; inde quo turbine vetus scrinium et bibliotheca sedis apostolicae saeculo praesertim XIII dissipata sint et abolita, probabiliter declarari posse conicio.

tung (*Neues Archiv* VIII 1883 p. 240, 241): in qua nescio an etiam nunc permaneat (cf. Stevenson, l. c. p. 343, 344).

<sup>1</sup> Watterich, *Vitae pont.* II p. 589, 590.

<sup>2</sup> Pandulphus diaconus in vita Gelasii II, l. c. p. 95.

<sup>3</sup> Haec exposui in commentario supra citato de thesauro nummorum Anglo-saxonico e stipe collaticia *denarii s. Petri* reperto anno 1883 ad pedes collis Palatini; ad quem commentarium lectorem remitto.

## CAPUT XII.

**Vetus archivum et bibliotheca sedis apostolicae  
dispersa et destructa saeculis XII et XIII:  
novum archivum sive *cancellaria* ab Innocentio III condita  
in aedibus Vaticanis.**

Initio saeculi XII regesta pontificum iam non tota extabant Romae sive in archivo Lateranensi sive in turri chartularia: sed eorum saltem pars aliqua, crebris pontificum migrationibus disseminari coepta vel tutioris custodiae gratia tradita monasteriis munitissimis, quaerenda erat extra Urbem. Id discimus ex actis diuturnae litis de finibus dioeceseon Arretinae et Clusinae in tabulario ecclesiae Arretinae n. 435<sup>1</sup>. Etenim lis definita tandem est ab Honorio II paullo ante annum 1125, regesto Alexandri II e monte Soracte Romanam eius controversiae gratia allato<sup>2</sup>. Sed maiorem partem archivi sedis apostolicae, et praesertim regesta successorum Gregorii VII, toto saeculo XII Romae servata esse et ordinata, luculenter testantur collectanea Albini scholaris et liber censuum Cencii camerarii, quae superiore capite commemoravi, in ipsis archivis eo

<sup>1</sup> De hac lite v. Grazini, *Vindiciae ss. martyrum Arretinorum*, Arretii 1755 p. 55-59; Troya, *Codice diplom. Longob.* n. 400; Savigny, *Gesch. d. röm. Rechts* 2 ed. I p. 259.

<sup>2</sup> « *Accessit ad eum (Guidonem episcopum Arretinum) quidam clericus.... et ait..... Mitte ad montem Syratti pro registro pp. Alexandri (II), in quo est definitiva sententia etc.; quo (registro) misso et aperto statim occurrit praefata sententia, secundum quam Aretinus episcopus victoriam retulit* (Grazini, l. c. p. 73).

saeculo exeunte confecta. Quae quum satis nota et a Paulo Fabre uberrime illustranda sint, ab iis excutiendis supersedeo.

Regesta successorum Gregorii VII aucta sunt adnotationibus historicis; quarum sparsa indicia hoc loco colligi necesse est. Auctor codicis canonum Britannici (add. mss. 8873), quem P. Ewald accurate descripsit <sup>1</sup>, et unde plurimae epistolae ineditae pontificum nuper prolatae in lucem sunt <sup>2</sup>, adhibuit regesta Gelasii I, utriusque Pelagii, Leonis IV, Ioannis VIII, Stephani VI, Alexandri II, denique Urbani II tantummodo a die 13 Martii 1088 ad 10 Sept. 1089. Quare ipsa regesta expilavit exeunte saeculo XI, vel usus est excerptis inde iam sumptis et ad id tempus continuatis. Excerptis vero epistolarum Urbani II in codice Britannico insertae sunt adnotationes historicae tanquam e regestis desumptae. Quas in regestis vere extitisse confirmat Honorius III scribens Romae ad archiepiscopum Tolosanum: « *testamur, quod in regestis felicitis recordinationis Urbani II .... scriptum est .... in haec verba* » : sequitur brevis narratio de Bernardo archiepiscopo Toletano iisdem verbis, quibus in codice Britannico <sup>3</sup>. Similes narrationes insertas esse regestis Paschalis II indicat codex Vat. 1984 collatus cum collectaneis Albini scholaris <sup>4</sup>. Denique eiusdem generis adnotationes extitisse in re-

<sup>1</sup> *Neues Archiv* V p. 275-414, 505-596.

<sup>2</sup> Löwenfeld, *Epist. Rom. ineditae*, Lipsiae 1885.

<sup>3</sup> V. Ewald, l. c. VI p. 453, qui citat epistolam Gregorii IX (a 1239 1240): sed in Prolegomenis ad Regestum Clementis pp. V cura et studio monachorum s. Benedicti editum a. 1884 p. XXIV refertur epistola Honorii III, cuius verbis Gregorius IX usus est; quare testimonium de regesto Urbani II et de adnotationibus historicis eidem insertis Honorii III est, non Gregorii IX.

<sup>4</sup> V. Stevenson, l. c. p. 373-375.

gesto Hadriani IV a. 1155 Henricus Stevenson docuit e citato codice Albini f. 137<sup>1</sup>.

Praeter codicem canonum Britannicum, alter eiusdem generis codex Cantabrigiensis nuper excussus est; unde in lucem redierunt epistolae plurimae nondum notae Alexandri III (a. 1178-80), et singulae successorum eius Hadriani IV, Lucii III e regestis desumptae<sup>2</sup>. Regesta Alexandri III non semel citavit Honorius III (a. 1216-1227) itemque Hadriani IV, Anastasii IV, Gelasii II, Lucii II<sup>3</sup>. Post Honorium III nemo meminit regestorum epistolarum pontificum, qui fuerunt ante Innocentium III<sup>4</sup>. Neque quum ineunte saeculo XIV regesta pontificum translata sunt Perusiam, inde Asisium, denique Avenionem, eorum volumen ullum authenticum supererat antiquius exeunte saeculo XII, id est pontificatu Innocentii III. Igitur iactura regestorum, quae antiqua appellavi, facta est vertente saeculo XIII, post pontificatum Honorii III (a. 1216-1227), ante eiusdem fere saeculi finem vel initia decimi quarti.

Nunc si quaeratur, quae tantae iacturae eo tempore probabilis causa possit excogitari, reputanda sunt quae superiore capite dixi: turrim chartulariam saeculo XI exeunte et vertente XII fuisse *chartarium* bibliothecae sedis apostolicae et *locum tutissimum curiae*,

<sup>1</sup> L. c. p. 371.

<sup>2</sup> Löwenfeld, *Registerfragment Alexanders III mit unbekanntem Briefen und eine neue Canon-sammlung* in *Neues Archiv* X (1885) p. 586 et seqq.; eiusdem *Epist. Rom. pont. ined.* p. 129, 149-208.

<sup>3</sup> Proleg. ad Reg. Clem. V, l. c.

<sup>4</sup> De regestis Urbani II a Gregorio IX memoratis iam monui hunc non proprio, sed Honorii III nomine et verbis esse loquutum.



eiusque *munitionem fortissimam*; in quam Urbanus II et successores se receperunt, praesertim Alexander III, in *tutis Frangapanum domibus apud s. Mariam novam et Chartulariam* diu commoratus <sup>1</sup>. Itaque valde probabile est in eo *chartario* servata esse regesta Alexandri III aliorumque pontificum eiusdem fere aetatis; quin et ibidem *tutissimae* custodiae gratia conditum et obseratum esse thesaurum veteris scrinii sedis apostolicae translatum e patriarchio Lateranensi. Frangipani vero, quorum fidei turris chartularia commissa erat, ita ut inde agnomen sortiti sint, post decessum Honorii III, qui omnium ultimus regestorum saeculi XI et XII mentionem fecit, desciverunt a pontifice; et iussu Friderici II imperatoris, quidquid ecclesiae Romanae nomine obtinebant a *Palatio ad Colosseum* tradiderunt Annibaldis fautoribus imperii <sup>2</sup>. Sic non modo turris chartularia, sed et quidquid veterum regestorum, chartarum, librorum in ea conditum erat, videtur venisse in potestatem hostium ecclesiae. Quid inde detrimenti ceperit *chartarium* sedis apostolicae, docet ipse, ni fallor, occasus veteris archivi et regestorum antiquiorum pontificatu Innocentii III; e quibus exeunte saeculo XIII vel ineunte XIV iam nihil supererat.

Quomodo vero factum sit, ut vicissim regesta inde ab Innocentio III serie fere non interrupta ad nos pervenerint, facillime declaratur. Innocentius enim pontifex magni animi et mentis providissimae cuncta curiae ministeria ordinavit. Ab eius pontificatu

<sup>1</sup> Bosonis, Vita Alexandri III ed. Watterich, Vitae pont. II p. 406.

<sup>2</sup> Hanc cessionem irritam pronuntiavit Innocentius IV a. 1244 (Marangoni, *Mem. dell' Anfiteatro Flavio* p. 52, 53; Theiner, *Cod. diplom. dom. temp.* I p. 118 n. 207; Potthast, *Reg. n.* 11355; Berger, *Registres d'Innocent IV* p. 106, 107).

incipit nova aetas *cancellariae* pontificiae <sup>1</sup>. Innocentius enim *cancellariae* ac *camerae* apostolicae novam sedem constituit, longe a patriarchio Latèranensi et a turri chartularia: « *quia non tantum honorabile sed utile censuit, ut summus pontifex apud sanctum Petrum palatium dignum haberet, fecit ibi de novo . . . domos cancellarii, camerarii* » etc. <sup>2</sup>. Vetera vero regesta in novam sedem Innocentius haud transtulit. Etenim si archiva tum vetus tum novum in aedibus Vaticanis tunc ordinata essent et eidem providae custodiae commissa, fieri non potuisset, ut cuncta regesta Innocentio III antiquiora eodem vertente saeculo perirent, series vero a pontificatu eius incipiens tota conservaretur <sup>3</sup>.

Erunt fortasse qui cogitabunt, regesta antiquiora ideo periisse, quod scripta essent in libris *charticiis*. Certe antiquitas et usque ad initia saeculi undecimi epistolae pontificum et quaecunq̄ gesta

<sup>1</sup> « *L'avènement d'Innocent III fût une ère nouvelle pour la chancellerie pontificale* » Delisle, *Mém. sur les actes d'Innocent III* p. 5. (extrait de la *Bibl. de l'école des chartes* 4 ser. III, IV).

<sup>2</sup> Mai, *Spicil. Rom.* VI p. 307. Pars gestorum Innocentii III, in qua haec leguntur, ignota Balutio, edita est ab Angelo Maio (l. c.) e codice bibliothecae Vaticanae, nempe 6091. Qui non nisi recens apographum est codicis tabularii Vaticani XI, 25, chartacei scripti saeculo XIV, translati ex archivo Avenionensi a. 1604.

<sup>3</sup> Series regestorum ab Innocentio III recensetur in libello Gregorii Palmieri, *Ad Vaticani archivi Rom. pont. regesta manu ductio*, Romae 1884. Regesta annorum X, XI, XII pontificatus Innocentii III, quae in archivo Vaticano desiderabantur, comes de Ashburnham vir nobilissimus obtulit Leoni XIII pont. max. curante I. B. Pitra v. em. (v. Battandier in *Studia e documenti di storia e diritto* VI p. 81 et seqq.: Pitra l. c. p. 486, 487; Delisle, *Les registres d'Innocent III* in *Bibl. de l'école des chartes*, Janvier 1885).

*authentica* erant *charticia*, id est papyracea <sup>1</sup>; item acta conciliorum, quorum plura exemplaria authentica chartacea a patribus subscripta conficiebantur <sup>2</sup>: denique regesta epistolarum in scriniis sedis apostolicae exarata esse in *libris charticiis* docemur a Ioanne diacono, cuius verba de huiusmodi libris epistolarum Gregorii Magni in eo scrinio prostantibus non semel commemoravi. Ceteros quoque codices bibliothecae sedis apostolicae fuisse maiori numero papyraceos quam *membranaceos*, ex actis concilii Constantinopolitani sexti collegit Marinius <sup>3</sup>. Quare iactura *tomorum* et librorum archivi et bibliothecae Lateranensis videri potest imputanda fragilitati chartae papyraceae, quae difficillime aetatem tulit. Verum regesta saeculorum undecimi et duodecimi, fuerunt certe *membranacea*; neque eorum pars ulla Innocentio III antiquior servata est. Quare non materia librorum, sed vis aliqua vel infortunium in causa fuerunt, cur ad unum omnes interierint.

Ceterum Romae exeunte saeculo XIII antiqui tum *libri* tum *tomi (privilegia) ex papyro in gazophylaciis* praesertim *antiquorum monasteriorum* haud desiderabantur; eorumque custodiae multo magis obfuit incuria ex ignoratione litterarum *non intelligi-*

<sup>1</sup> De *privilegiis* sive diplomatibus pontificiis, quorum exemplaria authentica papyracea supersunt, vide Delisle, *Rapport sur une communication de M. Bruttails relative à une bulle sur papyrus du pape Serge IV (1011)* in *Bull. hist. et philol. du comité des travaux hist.* 1885 n. 2. De diplomatibus vero pontificiis exaratis in membranis, quorum exemplaria authentica antiquiora pertinent ad initia saeculi XI, v. Diekamp in *Mittheil. f. österr. G.* III p. 566; Ewald in *Neues Archiv* IX p. 332 et seqq.; Pitra, l. c. p. 83.

<sup>2</sup> V. Marini, *Papiri* p. 382.

<sup>3</sup> L. c. p. XVI.

*bilium*, quam corticis fragilitas <sup>1</sup>. In archivo sedis apostolicae translato Roma Avenionem, quum eius recensio fieret anno 1366, repertus est « *quidam rotulus de cortificibus arboris scriptus litteris quasi illegibilibus, prout supra ipsum scriptum est in quadam cedula, et ideo non fuit summatus* » <sup>2</sup>.

Non in papyro, sed in membranis partim purpureis, et aureis argenteisve litteris exarata erant « *privilegia et litterae, ab imperatoribus et regibus aliisque principibus, nobilibus ac fidelibus Christianis sedi apostolicae concessa vel missa, quorum aliqua bullis aureis, alia vero sigillis plumbeis aut cereis roborata* », quae « *ne occasione casuum futurorum, quibus corporalia subiacent universa, deperirent* », Innocentius IV a. 1245 transcribi iussit eorumque apographa a patribus concilii Lugdunensis recognosci et sigillis muniri <sup>3</sup>. Quum haec pretiosiora *munimenta* fortunam veteris archivi sortita non sint et etiam nunc extant, oportet ea in *nova cancellaria* vel *camera apostolica* Innocentiana in Vaticano reposita fuisse et ab interitu praeservata.

<sup>1</sup> Simonis Ianuensis (medici Nicolai IV a. 1288-1292), *Clavis sanationis Venetiae* 1514 p. 37: « *gazophylacia antiquorum monasteriorum Romae.... continent libros et privilegia ex papyro scripta ex literis non intelligibilibus, nam figurae nec ex toto Graecae nec ex toto Latinae erant* ». Huius insignis testimonii, quod neque Marinio neque aliis, qui de papyris scripserunt, innotuit, me admonuit Ioseph Lais v. c. sodalis Philippianus.

<sup>2</sup> Marini, l. c. p. 222.

<sup>3</sup> Berger, *Les registres d'Innocent IV* I p. XLVII: cf. Marini, *Mem. istoriche degli archivi* p. 9, 10; Martene, *Script. vet. coll.* II p. 1223 et seqq.; Huillard-Bréolles in *Notices et extraits des mss. de la bibl. imp.* XXI P. II p. 267 et seqq.; Delisle, *Mélanges de paléographie et de bibliographie*, p. 405-410.

## CAPUT XIII.

**De bibliotheca sedis apostolicae  
a Bonifatio VIII ad Eugenium IV (a. 1295-1447).**

Exeunte saeculo XIII anno 1295 iussu Bonifatii VIII confectus est index codicum bibliothecae pontificiae, antiquissimus eorum, qui ad nos pervenere. Inde incipit series longissima per sex saeculorum cursum fere continua indicum bibliothecae et archivi sedis apostolicae. Quare a pontificatu Bonifatii VIII ordianda est huius tractationis pars, quae non conquisitis undique testibus sagacibusque coniecturis, sed ipsis indicibus librorum intexta, ab historia pontificum et litterarum plenam lucem mutuatur. Totum vero instrumentum recensionum antiquarum bibliothecae pontificiae, secundum ea quae in praefatione significavi, neque nunc praesto est, neque decet eius partes potiores inde decerpi. Itaque ea tantum notabo, quae cum incepto ita cohaerent, ut a me omitti omnino non debeant.

Vertente saeculo XIII ante a. 1295 mentio bibliothecae sedis apostolicae nulla reperitur. « *Inventarium vero de omnibus rebus inventis in thesauro sedis apostolicae factum de mandato ss̄mi patris Bonifacii VIII an. 1295 pontificatus sui an. I<sup>o</sup>* » complectitur « *libros theologiae, iuris civilis, iuris canonici et medicinae et multos alios* », volumina fere 500, quibus altera manus adiecit: *it(em) CLX cartas edinas*<sup>1</sup>. Regesta pontificum, privilegia imperatorum, regum

<sup>1</sup> V. Ehrle, *Zur Geschichte des Schatzes der Bibliothek und des Archivs der Päpste im XIV Jahrhundert* (in Denifle et Ehrle, *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters* I p. 21 et seqq.).

ceteraque *munimenta* iurium sedis apostolicae, quorum apographa Innocentius IV recognoscenda curavit in concilio Lugdunensi, in hoc *inventario* desiderantur. Ea certe reposita erant in *cancellaria* et *camera apostolica*, quas Innocentius III constituit in aedibus Vaticanis; libri vero aggregati *thesauro sedis apostolicae* praesto erant pontifici residenti in patriarchio Lateranensi. Sane libri in hoc *inventario* recensiti fere omnes sunt quales usus quotidianus et studia theologiae et iuris eo tempore requirebant: duo tantum dicuntur *antiqui*; unus, *qui incipit de VII miraculis mundi*; alter *quidam liber antiquus de littera Beneventana*<sup>1</sup>: pauci codices iuris civilis notantur scripti *littera antiqua*, *de antiqua et vili littera*, quorum ipsum argumentum indicio est eam antiquitatem vix de saeculo duodecimo esse interpretandam<sup>2</sup>. Codicum vere antiquorum e vetustis bibliothecis ecclesiae Romanae, quarum historiam supra explicavi, ne unus quidem in hoc *inventario* agnoscitur.

Thesaurus, bibliotheca librorum, archivum translata sunt Perusiam anno 1304. In indice librorum ibi confecto a. 1311, unde excerpta fecit Carolus Wenk<sup>3</sup>, et quem totum nunc edet Fr. Ehrle, codices antiqui recensentur praesertim quattuor, quorum descriptionem exhibeo ex apographo ab editore mecum commiter communicato:

<sup>1</sup> Codd. *inventarii* citati 182, 355 ed. Ehrle. De codice 355 *littera Beneventana*, cuius titulus desideratur, infra dicam.

<sup>2</sup> Codd. 359, 362, 364, 370.

<sup>3</sup> *Ueber päpstliche Schatzverzeichnisse des 13 und 14 Jahrhundert. und ein Verzeichniss d. päpstl. Bibliothek v. Jahre 1311 in Mittheil. d. Inst. für österreich. G. VI, 2.*

[cod. 461] *Item librum Augustini contra Faustum Manicensem, de bona nota antiqua, scriptum in cartis pecudinis, . . . et est in tabulis antiquis et corosis cohoptis de corio albo et est scriptum in principio ipsius libri: LIBER ISTE EST SANCTE MARIE NOVE DE URBE.*

[cod. 201] *Item quemdam librum antiquum de nota antiqua, qui est intitulus: HIC EST LIBER SANCTE MARIE NOVE etc.*

[cod. 504] *Item unum librum satis magnum antiquum, scriptum de bona et antiqua lictera in cartis edinis, in quo continentur epistole Ieronimi et Damasi et nonnullorum aliorum; . . . et est scriptum in principio: HIC LIBER EST Lateranensis ecclesiae, quicumque eum abstulerit vel celaverit vel titulum istum deleverit, anathema sit.*

[cod. 499] *Item quendam librum multum antiquum, qui intitulus in principio: IOHANNES EPISCOPUS BOSONI ILLUSTRISSIMO COMMITTI, scriptum de antiqua littera cum ditongis in cartis pecudinis, . . . et est in tabulis multum antiquis cohoptis de corio albo, et est scriptum in principio: LIBER fratrum Casinensium assignatus per Berardum canonicum basilice principis apostolorum domino pape.*

Haec descriptio quattuor codicum antiquorum conferenda est cum iis, quae superiore capite dicta sunt. Codex 499, qui *multum antiquus* dicitur, et *de antiqua littera et cohoptus tabulis multum antiquis*, est notissimum volumen epistolarum Ioannis VIII, scriptus *littera Beneventana* saeculi XI, quod I. Levi accuratissime examinavit <sup>1</sup>. Igitur codex, qui anno 1311 habebatur omnium antiquior in bibliotheca pontificia, trium vix saeculorum antiquitate pollebat; neque e vetere archivo sedis apostolicae duce-

<sup>1</sup> *Archivio della soc. R. di st. patria* IV (1881) p. 161 et seqq.; cf. Ewald in *Neues Archiv* VI p. 647.

bat originem, sed e monasterio Cassinensi. Adnotatio de Berardo, qui codicem donavit *domino papae*, censetur scripta manu saeculi XIV; est autem paullo antiquior. Idem enim codex, meo iudicio, notatur in *inventario* anni 1295 verbis supra relatis: *quidam liber antiquus de lictera Beneventana*. Quum volumen titulo careret, in indice quoque anni 1339 censitus est absque designatione argumenti <sup>1</sup>. Sic codicis celeberrimi ingressus in bibliothecam pontificiam repetendus est ab anno saltem 1295. Item e ceteris tribus codicibus *antiquis* recensitis a. 1311 nullus ab origine fuit bibliothecae patriarchii Lateranensis; sed unus *ecclesiae Lateranensis*, duo *s. Mariae novae*. Quorum saltem duo (461, 504) in bibliotheca pontificia iam extabant a. 1295 <sup>2</sup>. Quum aedes s. Mariae novae iuncta esset *munitionibus tutissimis curiae* ac praesertim turri chartulariae, pontifices in ea *munitione* et turri residentes inde per fornices accedebant ad contiguam aedem sacram, qua utebantur tanquam pontificia ac paene *succedanea* Lateranensi. Itaque clare patet, cur potissimum codices sumpti e secretario *s. Mariae novae* et unus *ecclesiae Lateranensis* censiti sint inter antiquiores superstites in bibliotheca pontificia a. 1311. Cuncta vero, quae supra dixi de interitu vetustioris bibliothecae Lateranensis et de turri chartularia, his indicibus librorum confirmantur.

De ceteris recensionibus bibliothecae et archivi sedis Apostolicae, confectis Asisii et Avenione toto saeculo XIV et ineunte XV et de bibliotheca nova ac ditissima Avenione instituta interim con-

<sup>1</sup> V. Denifle, *Archiv* etc. II p. 87.

<sup>2</sup> *Inventarium* a. 1295 ed. Ehrle n. 82, 86.



sulantur Fr. Ehrle <sup>1</sup>, Henricus Denifle <sup>2</sup>, Mauritius Faucon <sup>3</sup>. Bibliothecam Avenionensem Benedictus XIII (*antipapa*) insigniter auxit et magnam partem transtulit Peniscolam in Hispania a. 1408: librorum illuc translatorum recensio legitur in codice Parisiensi Lat. 5156 A <sup>4</sup>. Qui libri, extincto schismate, redierunt Avenionem; sed multi ex iis dati sunt collegio Tolosano instituto a Petro de Foix cardinali et postea dispersi vagarunt perveneruntque praesertim ad bibliothecam Colbertinam. Dum cuncta schismate Avenionensi perturbata erant, de nova bibliotheca Romae condenda cogitatum non est. Immo Gregorius XII anno 1407 consensum praebuit venditioni aliquot codicum ecclesiae Romanae (usus fortasse liturgici) pretio aureorum (flor.) 500, ut necessitatibus aerarii pontificii subveniret <sup>5</sup>. *Regesta bullarum* eius temporis, id est pontificum, qui Romae sederunt post reditum Gregorii XI in Urbem, usque ad annum 1428 *diu steterunt in locis conventus s. Mariae supra Minervam* <sup>6</sup>.

Schismate sublato, Martinus V a. 1418 paucos e libris Avenionensibus ad se deferendos curavit <sup>7</sup>. Anno 1428 iussit transferri

<sup>1</sup> L. c. et p. 228 et seqq.; 307 et seqq.

<sup>2</sup> *Die päpstlichen Registerbände des 13 Jhs. und das Inventar derselben vom J. 1339 in Archiv etc.* II (1886) p. 1-105.

<sup>3</sup> *La librairie des papes d'Avignon, sa formation, sa composition, ses catalogues* (a. 1316-1420) tome I, Paris 1886 (*Bibl. des écoles fr. d'Athènes et de Rome* XLIII): cf. Muratori, *Antiq.* VI p. 76 et seqq.; Delisle, *Le cabinet des mss. de la bibl. imp.* I p. 486 et seqq.; *Inv. gén. des mss. français de la bibl. nat.* I p. CV, CVI.

<sup>4</sup> V. Delisle, *Le cabinet etc.* l. c. p. 489 et seqq.

<sup>5</sup> Theiner, *Cod. diplom.* III p. 159.

<sup>6</sup> Marini, *Mem. degli archivi* p. 17.

<sup>7</sup> Theiner, l. c. p. 233.

ea regeſta, quorum paullo ſupra memini, *ad loca in palatio apoſtolico apud ſs. Apoſtolos nunc parata* <sup>1</sup>. Dresdae ſervatur codex Martiani Capellae, ornatus inſigniis Martini V, fortasse e privata eius bibliotheca <sup>2</sup>. Paulo poſt eius mortem, ineunte anno 1432, Ambroſius Traversari *pontificis bibliothecam (a bibliotheca s. Petri diſtinctam) ingreſſus, Graeca volumina quaedam notavit, novi nihil invenit, praeter quam Isaac Syri opuscula de perfectione vitae religioſae* <sup>3</sup>. Tunc ſedebat Eugenius IV, qui anno 1441 mandavit, ut a Petro de Fuxo (de Foix) cardinali redderentur ſedi apoſtolicae *nonnulla privilegia et libri ... ex archivis celeberrimarum Lateranensis et s. Petri eccleſiarum ad partes Avenionenses portata* <sup>4</sup>. Denique anno fere 1443 facta eſt recensio librorum Eugenii IV, quae ab Eugenio Müntz et Paulo Fabre e tabulario Vaticano deprompta typisque iam impreſſa quam primum in lucem emittetur. Complectitur volumina fere 340 tum ſacrae tum profanae litteraturae: Graeca autem nulla <sup>5</sup>, quanquam ea vidit Ambroſius Camaldulensis in bibliotheca pontificia anno 1432. Quare haec recensio fortasse re-

<sup>1</sup> V. Marini, l. c., qui recte negat id quod Aſſemani aliique, duce Panvino, temere aſſeruerunt, archivum Avenionense a. 1417 a Martino V Romam eſſe translatum.

<sup>2</sup> V. Blume, *Iter Ital.* III p. 18.

<sup>3</sup> Ambroſii Traversari, Ep. VIII, 42, 43 ed. Mehus: cf. eiusdem Hodoeporicon p. 10, ubi dicit ſe reperisse ad s. Caeciliae trans Tiberim homilias XXXIX Origenis in Lucam a Hieronymo in Latinum verſas et *alias tres in psalmos*. De *bibliothecis* tunc Romae *deletis, ut divinae Veronicae facies* (in membranis deletitiis) *pingeretur*, queritur Cencius (Rusticus) Romanus (Quirini, Diatriba praelim. ad Fr. Barbari epist. p. X).

<sup>4</sup> Theiner, l. c. p. 349.

<sup>5</sup> Unum tantum psalterium notatur partim Latinum, partim Graecum.

spicit libros peculiare Eugenio IV. Plurimi codices dicuntur scripti *littera antiqua*. Quae verba intelligenda sunt, non de codicibus antiquis, sed de libris ineunte saeculo XV scriptis littera formae antiquae, cuius usus ea aetate, renascentibus studiis antiquitatis, auctore praesertim Nicolao Niccolo, renovatus est <sup>1</sup>. Sane plures libri poetarum et oratorum, qui floruerunt exeunte saeculo XIV et ineunte XV, Francisci Petrarca, Leonardi Bruni Arretini, Ambrosii Traversari, Maphaei Vegii, aliorum notantur scripti *littera antiqua*. Quare ne in hoc quidem indice ulla deprehenduntur vestigia codicum antiquissimorum veteris bibliothecae sedis apostolicae. Notatur quidem « *Missale unum magnum in pergameno antiquissimum, littera antiqua sine principio, incipit: Pastores loquebantur* »: sed e libri argumento et initio (*missae* de natali Domini) haud videtur colligi antiquitas codicis maxima.

#### CAPUT XIV.

##### De bibliotheca Vaticana eiusque indicibus a Nicolao V ad initia saeculi XVII.

Nunc ad eam, quae proprie dicitur bibliotheca Vaticana, noster sermo pervenit. Huius initia repetenda sunt a Nicolao V, qui instituit in aedibus Vaticanis bibliothecam, iudicio doctorum hominum suae aetatis, « omnium, quae fuerant, praestantissimam » <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> V. Voigt, *Die Winderbelegung des cl. Alterthums*, I p. 401, 402.

<sup>2</sup> V. Tortellii, *Comm. grammaticae de orthographia*, Tarvisii 1577, in prooemio (et ap. Bandini, *Bibl. Leopold. Laur.* I p. 498): cf. Vespasiani, *Vita di*

Eius index confectus a Ioanne Tortellio nullibi reperitur. Extat *inventarium* librorum Nicolai V, qui post eius mortem iussu Callisti III recensiti sunt <sup>1</sup>, brevi edendum ab Eugenio Müntz; neque tanti thesauri fama par esse videbitur. Qua de re, ne editoris iudicium praevertam, dicere supersedeo. Immo totam historiam bibliothecae Vaticanae cursim nunc attingam, quippe quae reservanda sit, ut initio monui, praefationibus uniuscuiusque classis codicum Vaticanorum.

De bibliotheca magno sumptu aucta a Callisto III, quae Assemani referunt, nullo nituntur fundamento <sup>2</sup>: vicissim, quae de libris ab eo spretis et dispersis Vespasianus narrat, leviter recipienda non esse Eugenius Müntz demonstravit <sup>3</sup>. Pius secundus plurimos codices privatim possedit <sup>4</sup>; quorum pauci tantum Graeci sero in Va-

*Niccolò V* ap. Mai, *Spicil.* I p. 24 et seqq.; Manetti, *Vita Nicolai V* (in Muratori, *Rer. Ital. script.* III); Aurispa ap. Bandini, l. c. II p. 555; Mittarelli, *Bibl. codd. mss. s. Michaelis Venetiis* p. 82; Mehus, *Vita Ambrosii Camald.* p. LXV; Zanelli, *La biblioteca Vat.* p. 8, 9; Müntz in *Gazette des beaux arts* 1877 p. 423 et seqq.; Voigt, l. c. II p. 200. De Enoch Asculano a Nicolao V conquirendis codicibus misso usque in Daniam v. Haupt, *Opuscula* I p. 347. De *canone bibliographico* ab ipso Nicolao V conscripto Vespasianus, l. c. p. 32; von Reumont, *Lorenzo de' Medici* I p. 414; Enea Piccolomini in *Archivio st. ital.* ser. III tom. XXI p. 102; G. Sforza, *La patria di Niccolò V*, Lucca 1883 p. 359-381.

<sup>1</sup> Cod. Vat. 3959; et cod. Matritensis acad. hist. 71: « *Inventarium fuisimum omnium librorum et codicum Callixti pape III, quod ordinavit Cosmas de Monserrato, datarius ipsius domini papae et postea Vicensis episcopus* » (Ewald in *Neues Archiv* VI p. 340; cf. Heine, *Serapeum* 1847 p. 92). *Inventarium quorundam librorum repertorium in cubiculo Nicholai pape quinti post eius obitum* e tabulario Vaticano editum est a Hier. Amati in *Arch. st. ital.* ser. III tom. III p. I pag. 207 et seqq.; Sforza, l. c. p. 385-391.

<sup>2</sup> Praef. ad *Catal. codd. etc.* p. XXI.

<sup>3</sup> *L'héritage de Nicolas V* in *Gazette des beaux arts*, l. c.

<sup>4</sup> De bibliotheca Pii II v. Cugnoni, *Aeneae Silvii opp. inedita* p. 17 et seqq.;

ticanam pervenere. Xystus IV inceptum Nicolai V post mortem eius neglectum perfecit. Aulas libris recipiendis splendide paravit; bibliothecam quadrifariam divisit in publicam Graecam et Latinam; secretam, id est archivum; pontificiam, id est privatam pontificis. Codices omnes certo ordine distributos Bartholomaeus Platina adiutore Demetrio Lucensi descripsit. Hanc quoque descriptionem Eug. Müntz et Paulus Fabre edendam suscepere. Interim eius exemplaria manu scripta et indices quoque confectos post obitum Xysti IV usque ad Leonem X distincte recensui in libello, *La biblioteca della sede apostolica* p. 43, 44; ad quem de tota hac historiae parte lectorem remitto.

Anno 1527 Urbe direpta, bibliotheca quoque detrimentum passa est. Libri vero praedati sollicite requisiti sunt curis Marcelli Cervini bibliothecarii (deinde pontificis eius nominis secundi)<sup>1</sup>: regestum Gregorii IX annorum III et XV eiusdem cura restitutum est in in locum suum anno 1548<sup>2</sup>. *Libros* (regesta), *qui tempore Innocentii VIII erant in camera et hodie non reperiuntur*, Panvinius notavit in codice Vat. 3924 f. 25'. Post eam iacturam nova recensio librorum facta est *iussu et industria Marcelli Cervini* (cod. Vat. Lat. 3946);

de eius codicibus Graecis inlatis in Vaticanam, sedente Clemente XI, Assemani, *Bibl. orient. Clem. Vat.* I p. 593-97; Duchesne, *De codicibus mss. Graecis Pii II in bibl. Alexandrino-Vaticana*, Paris 1880. Sed in hanc seriem aliquos codices irrepsisse scriptos post obitum Pii II saeculo XVI monuit Voigt, l. c. II p. 236.

<sup>1</sup> Index librorum, quos Marcellus Cervinus recuperavit, scriptus est in cod. Vat. Lat. 3963.

<sup>2</sup> Vide testimonium Fausti Sabaei custodis bibliothecae editum a Gasparoni, *Lettere ed arti, appendice al tomo II* p. 119 et seqq.

quae in tria nobilis formae volumina dispertita (codd. 3967-69) usui fuit toto saeculo XVI <sup>1</sup>. « *Index bibliothecae Graecae Vaticanae confectus a Metello Kal. Sept. a. 1545* » extat in codice Vat. Lat. 7132 <sup>2</sup>. Graecorum item codicum indicem in ordinem, ut aiunt, alphabeticum digestum a Michaele Rosaita a. 1555 Ioseph Cozza *vice-bibliothecarius* repperit Neapoli inter codices Farnesianos hoc praefixo titulo: Πίναξ σὺν Θεῷ πάντων τῶν ἐλληνικῶν βιβλίων τῆς βιβλιοθήκης τοῦ Παλατίου κατ' ἀλφαβητόν Huius modi indices codicum tantummodo Graecorum bibliothecae Vaticanae multiplicatis exemplaribus in Gallias quoque et Hispaniam pervenere <sup>3</sup>.

Xystus V novas aedes bibliothecae regia magnificentia et cultu, qui veterum bibliothecarum ornamenta et splendorem refert, extruxit <sup>4</sup>. Tunc confectus est « *Index bibliothecae Vaticanae a tempore Nicolai V ac deinceps usque ad Xystum V* », cuius titulum tantum novimus descriptum ab Augustino Mariotti hoc ineunte saeculo in chartis, quae nunc servantur in archivo bibliothecae. Mariottus adnotavit: « *liber plus quam egregium (sic), scriptus a doctissimis et diligentissimis scriptoribus Vaticanis, qui etiam interdum palaeographiam sive specimen litterarum adiciunt* ». Sequitur nota scutatorum 30, quot sive a Mariotto emptum volumen erat sive em-

<sup>1</sup> V. Greith, Spicil. Vat. p. 6: cf. *La bibl. della sede apost.* p. 45.

<sup>2</sup> Ioannes Metellus Sequanus Romam venit mense Aprili a. 1545 (v. Andres, Antonii Augustini epistolae, praef. p. 49): quare primo in Urbem adventu hunc indicem confecit.

<sup>3</sup> V. *La bibl. della sede apost.* p. 47, 48.

<sup>4</sup> V. Muzio Pansa, *La bibl. Vaticana con la storia delle cose fatte da Sisto V*, Roma 1590; Rocca, *Bibl. apost. Vaticana*, Romae 1591; Assemani, Praef. ad *Catal. mss. bibl. Vat.* p. XXIV et seqq.

ptoribus oblatum. Huius indicis vere pretiosi et a me multum quaesiti vestigium nondum ullum potuit reperiri.

Anno 1600 pervenit in bibliothecam Vaticanam insignissima series codicum et librorum legata testamento Fulvii Ursini, de cuius indice autographo testatoris (cod. Vat. 7205) et de eius nuperima editione mentio facta iam est (p. vi) <sup>1</sup>. Indici Ursiniano alia postea manus appinxit ad marginem numeros, quibus singuli ex his libris censiti sunt in bibliotheca Vaticana; plerique inter codices Latinos a n. 3191 ad 3454 <sup>2</sup>, et inter typis impressos seriei veteris, quorum item numeros nunc obsoletos eadem manus adnotavit.

Hoc tempore bibliotheca Vaticana a plurimis omnis litteraturae studiosis frequentabatur <sup>3</sup>; eius thesauri valde creverant, non modo legato Fulvii Ursini, sed et accessionibus variis codicum, quibus post recensionem factam a Marcello Cervino plutei Vaticani pontificum liberalitate et auctoritate sunt cumlati. Peculiari mentione digni sunt codices Bobienses, iussu Pauli V Romam translati et inter Latinos Vaticanos censiti inde a n. 5750; quippe qui Angelo Maio obtulerint celeberrimas scripturas palimpsestas <sup>4</sup>. Quare de instituenda nova recensione codicum Vaticanorum ineunte saeculo XVII oportuit deliberari.

<sup>1</sup> Cf. *La bibl. della sede apost.* p. 46.

<sup>2</sup> Alii codices Ursiniani sunt extra hanc seriem; e. g. codd. Vat. 4104, 4105, 5398.

<sup>3</sup> Schott, *Itin. a.* 1601 p. 146.

<sup>4</sup> V. Mai ad Ciceron. *De republica* p. XXIII.

## CAPUT XV.

**Stabilis recensio codicum Vaticanorum  
instituta ineunte saeculo XVII:  
archivum a bibliotheca seiunctum iussu Pauli V  
eiusque prima descriptio nunc detecta.**

Initio saeculi decimi septimi incepta est a fratribus Rainaldis descriptio, qua nunc utimur, codicum Vaticanorum. Anno 1620 septem iam magna volumina confecta erant; scilicet sex descriptionis codicum Latinorum serie perpetua a n. 1 ad 6025, unum indicis auctorum et rerum per ordinem litterarum. Hoc incepto, post tot mutationes recensioneque varias, tandem bibliotheca Vaticana stabilitatem nacta est et ordinem codicum manuum scriptorum perpetuum, eorumque descriptionem nunquam postea intermissam et ad hanc diem eadem fere lege ac forma continuatam. Nec sine diuturna deliberatione hominum doctissimorum bibliotheca pontificia, omnium fortasse prima, consequuta est optatam firmitatem ordinis codicum nunquam postea immutandi. Deliberati iudicii laus non ultima debetur patri annalium ecclesiae Caesari Baronio; cuius rei memoriam hactenus ignotam repperi in commentario inedito Ferdinandi de Carolis, De bibliotheca pontificia<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cod. Barb. olim 916: mihi vero praesto fuere chartae autographae auctoris opus praeparantis, servatae prius in bibliotheca Iosephi Angelini praesulis cl. mem., nunc Ioannis Caroli Rossi eq.



Operae pretium est referre testimonium, quanquam prolixum, huius viri et docti et eorum temporum aequalis, qui ab ipso Caesaris Baronii ore audita eleganter exposuit scriptisque mandavit.

“ Pontificum et praefectorum ac uirorum doctorum consultationes de  
 „ tanta librorum congerie quam aptissime digerenda . . . nimis operosum esset  
 „ recensere; et quae reiecta sunt, tanquam minus profutura, libens prae-  
 „ tereo. Obtinuere Federicus et Marinus Raynaldi custodes, grauibus pro-  
 „ positis rationibus, ut uetus ordo, qui usui minime esse posset bibliothe-  
 „ cae unum in corpus tandem coalescenti, peruerteretur; nouo instituto etiam  
 „ indice, quo direttore certissimo custodes in posterum uterentur. Orienta-  
 „ lem igitur ianuam ingressis aula bibliothecae . . . obiicit ad dexteram qua-  
 „ dratas inter columnas sacrorum uoluminum manuscriptorum pluteos, unde  
 „ manuscriptorum latinorum omnis ordo deducitur ex codicibus ueteris te-  
 „ stamenti exordia desumens. Glossa praeterea, ut illam uocant, in uniuersae  
 „ Scripturae sacrae uolumina, patrum ueterum commentaria, doctorum  
 „ quaestiones, omnis ecclesiasticorum rituum ratio, sacrorum annalium et hi-  
 „ storiae series, sermones pii, acta magnorum conuentuum, sanctiones et  
 „ decreta pontificum suis pluteis exposita cernuntur. Ad parietem ligneis in  
 „ loculis authorum graecorum labores manuscripti per grammaticorum et  
 „ rhetorum lucubrationes ad philosophorum, geometrarum et reliquorum sa-  
 „ pientum, ad oraculorum diuinorum penetralia, et ad patrum monumenta  
 „ curiosos aduenas perducunt. Sinistra in parte grammaticorum opes Musa-  
 „ rumque thesauros omnes poetarum, oratorum et historicorum sudore con-  
 „ gestos, dialecticae nodos et omnis arcana sapientiae patere conspiciamus.  
 „ Ligneis loculamentis occidentalem ad parietem inter fenestrarum lumina  
 „ sitis uariae multiplicisque eruditionis aerarium, numero tamen distinguente,  
 „ latet. Utrinque excurrunt magni corporis ad occidentem recumbentis bra-  
 „ chia: septemtrionale dexterum, Pauli Quinti opus, ornatissimis in locu-  
 „ lamentis manuscriptos codices sacros et patrum scripta uariasque recon-  
 „ ditae doctrinae diuitias complectitur. Sinistrum australe a Xysto quinto  
 „ bibliothecae adnexum omnigenam multiplicis sapientiae supellectilem in

„ similibus loculamentis tegit . . . Perpetuus ordo authorum in suas classes  
 „ digerendorum per pluteos, incredibili affluentia in dies uoluminum copia,  
 „ seruari non potuit, sed exactissimi indicis ratio, quod ob copiam uarieta-  
 „ temque librorum seruari minime poterat, abunde supplevit. Quam in pro-  
 „ uinciam, defuncto Federico, Marinus nauiter incubuit. Dominicus autem  
 „ Raynaldus duo indicis uolumina, post Marinum sua manu exarauit, reliquis  
 „ perficiendis uoluminibus multos iam annos Alexander Dominici frater insistit.

„ Nec uero semel de indice coram bibliothecariis est disceptatum.  
 „ Alfonsus Caraffa et Marcus Antonius Columna saepius ea de re, doctis-  
 „ simis quibusque uiris in consilium adhibitis quaesiuerunt. Caesar Baronius,  
 „ Ludouicus Torres, Scipio Burghesius, quo praeside res bibliothecae plu-  
 „ rimum incrementi sumpsere, et Scipio Cobellutius, tota re diligentissime  
 „ perspecta, Clemente Octauo et Paulo Quinto annuentibus, quod a Baro-  
 „ nio et Cobellutio saepius audiui, coeptum opus perficiendum curarunt.  
 „ Indicem ipsum usus et dies approbauere. Si quis autem optimi rationes  
 „ instituti unquam immutare tentauerit, nae ille magno bibliothecae detri-  
 „ mento membra molis immensae luxata uix pertinaci uicentium annorum  
 „ labore ad munera sueta reuocatum iri comperiet. Toto illo decennio, quo  
 „ Pauli Quinti iussu templo Vaticano exornando intentus, assidue in biblio-  
 „ theca uersabar, plura uolumina indicis pulcherrimi peruolutaui. Authorum  
 „ nomina ordine descripta, operum argumenta, librorum initia, numerus pa-  
 „ gellarum recensetur; characteris genus, forma, et magnitudo uoluminum,  
 „ aeuum etiam ipsum indagatur et apponitur, singula suis numeris signan-  
 „ tur, ut successiue in bibliothecam a principio sunt illata; numero libri  
 „ sedes ostenditur, addito pluteo in quo liber continetur; et si quando au-  
 „ thoris alicuius nomen aut operum tituli desiderantur, nihil intentatum  
 „ omnino relinquitur, donec in lucem proferantur. Quo factum est, ut ma-  
 „ gno cum bibliothecae emolumento supra terna authorum millia, qui in  
 „ bibliotheca diu latuerant, in hominum conspectum sint educta, et index  
 „ tam facili et aperto ordine constet, ut cuilibet imperito ad quaeuis in-  
 „ uenienda uolumina iter aperiat expeditissimum. Angelus Rocca Tagasten-  
 „ sis antistes, pontificii sacrarii praefectus Xysti magnificentiam et opus

„ edito uolumine celebrauit. Immensae moli summam imposuisse Paulus Quin-  
 „ tus uideri potuit, qui aedificationem amplificauerit, et pari splendore exor-  
 „ nauerit; archiuo praesertim extracto, ubi ex uetere Iulii primi instituto  
 „ arcana romanae sedis monumenta, quae uariis sedibus diuulsa latebant,  
 „ seruarentur pontificis tantum arbitrio promenda. Pluribus quoque mil-  
 „ libus uoluminum ueterum latine et graece scriptorum thesauros biblio-  
 „ thecae Paulus cumulauit, pleraque monumenta senio deformata restituens  
 „ et nitorem plurimis aere non paruo concilians. Cumque nullo censu biblio-  
 „ theca ad eam diem instructa quandoque magnis urgeretur angustiis, aes  
 „ perpetuum illi ex uetusti sacerdotii fundis attribuit, et ita ornamento ac  
 „ firmitati molis augustissimae in posterum opportune consuluit „.

Quae Ferdinandus de Carolis oratorio stilo involuit fortasse magis quam explicat, facillime declarabo. Codices in novam sedem a Xysto V translati distributi erant in classes et pluteos, ad eam fere normam, quam Bartholomaeus Platina constituerat designans loca librorum iussu Xysti IV. Eadem fuit forma bibliothecarum veterum et in earum pluteis designatio librorum, quemadmodum expositum est toto capite septimo. Itaque Baronius in Annalibus codices Vaticanos citat secundum pluteos et seriem librorum in unoquoque pluteo: e. g. codex nunc censitus inter Latinos n. 600 a Baronio citatur plut. III, 153<sup>1</sup>. Aucta sensim continuis fere incrementis bibliotheca, nonnunquam insigniter ampliata accessione magnae alicuius copiae librorum, quemadmodum Ursiniana, cuius paullo supra memini, distributio in classes requirebat, ut singulis codicibus plutei et loca adsignarentur titulis et argumentis eorum convenientia. Quo pacto ordo librorum perpetuis mutationibus obnoxius erat; tabulae recensionis codicum continuo interpolandae

<sup>1</sup> Annal. ed. Luc. tom. XI p. 65.

erant; vel tota de integro, per haud longa temporis intervalla, recensio instauranda. Recte igitur et provide a Rainaldis fratribus, de bibliotheca Vaticana quam qui maxime meritis, consultum est, secundum ea, quae Ferdinandus de Carolis exponit, Caesaris praesertim Baronii ore testata. Praesides bibliothecae, quorum auctoritate totam rem a doctis viris in consilium adhibitis attente discussam definitamque esse et a Rainaldis exequutioni mandatam nunc discimus, fuere: Antonius Carafa bibliothecarius a. 1585-1590; M. A. Columna a. 1591-97; Caesar Baronius a. 1597-1607; Ludovicus de Torres a. 1607-1609; Scipio Burghesius a. 1609-1618, Scipio Cobellutius a. 1618-1626. Tanta consultationis et tam diuturni operis fuit designationi et indicibus codicum Vaticanorum eam normam praescribi praescriptamque exequutioni mandari, quae bono rei litterariae et doctorum hominum commodo etiam nunc durat; neque, ut Ferdinandus de Carolis iure monet, mutari poterit, quin maxima et paene irreparabilis totius bibliothecae perturbatio fiat.

Praeterea Ferdinandus de Carolis innuit, quo tempore ordo et descriptio codicum firmiter stabilitae sunt, Paulum V providisse, ut constitutio archivi a bibliotheca publica rigidius quam antea discernendi, secundum vota et decreta decessorum tandem perficeretur. Historiam archivi cum bibliotheca eiusque administratione coniuncti, sed in secreto conclavi sepositi a Xysto IV ad Paulum V, item scrinii secretioris in arce molis Hadrianae, Caietanus Marinius diligenter persequutus est in commentario saepe laudato (p. 17-30): cui tanquam praecipuo fundamento innituntur qui deinde de eodem argumento scripsere <sup>1</sup>. Marinius (l. c. p. 30) incertus

<sup>1</sup> Consulendi tamen sunt: Blume, *It. Ital.* III p. 24 et seqq.; Gachard, *Les*

haeret, quae in procuratione huius archivi a Paulo quinto constituti partes et munia fuerint Michaelis Lonigo Estensis. Mihi vero nuper contigit reperire insigne volumen authenticum gestorum constitutionis archivi decretae a Paulo V, et plenissimae descriptionis librorum, qui e bibliotheca aliisque locis sumpti sunt in illud inferendi. Auctor descriptionis est Michael Leonicus, de quo in eiusdem voluminis praefatione anonyma, cui titulus: « *Erectio novi archivi bibliothecae Vaticanae* » legitur: « *Ne vero tanti operis curator deesset, idem sanctissimus dominus noster Paulus V Michaelem Leonicum u(triusque) i(uris) d(octorem) clericum Estensem Paduanae dioecesis, virum impigrum, cuius fidelitatem in pluribus fuerat iam antea expertus, eiusdem archivi praefectum constituit, ut eius studio et diligentia archivi et scripturarum negotium antea neglectum ad votum sanctitatis suae optime in posterum dirigeretur* ». Paulus quidem sanxit, ut primus bibliothecae custos praefecturam item regeret archivi: quare Nicolaus Alemannus, tunc custos bibliothecae, testatus est Leonicum sibi subiectum fuisse <sup>1</sup>. Sed allato praeclaro documento nunc constat eum, sin minus iure *autonomae* praefecturae, re tamen et facto gessisse praecipuam curam exequendi mandatum de constitutione novi archivi Vaticani. Sane in citato volumine post praefationem statim sequitur: « *Annotabimus infra regesta pontificum et volumina singula, quae mandante sanctissimo domino nostro Paulo V successivis vicibus in novum Vaticanum archivum ex locis variis translata sunt* ». Deinde incipit: « *Volumina ex bibliotheca Vaticana in novum archi-*

*archives du Vatican*, Bruxelles 1874; P. A. Munch, *Aufschlüsse über das päpstliche Archiv, aus dem Dänischen übersetzt von J. Löwenfeld*, Berlin 1880; et monachi ordinis s. Benedicti auctores prolegom. ad Reg. Clementis V. p. XLII et seqq.

<sup>1</sup> V. Marini, l. c. p. 30.

*vum primo illata* »; subiecta est descriptio voluminum 258, quo statu essent, quo modo restaurata sint et denuo compacta in volumina 279. Eodem modo refertur de voluminibus secunda, tertia translatione et deinceps sumptis e bibliotheca, e *camera apostolica* aliisque locis variis. Describuntur in totum volumina illata in archivum fere 2700. Inde praesertim discimus quibus locis, ordine, statu essent regesta, ante quam inferrentur in novum archivum, quae nunc continuam seriem efficiunt voluminum 2019 <sup>1</sup>. Haec prima descriptio novi archivi constat chartis et paginis numeratis 375 formae quartae maximae splendide compactis corio rubro ornato insigniis studiose abrasis Pauli V et nescio cuius praesulis. Huius modi volumen in archivum bibliothecae illatum non est. Contelorius enim anno 1627 referens ad cardinalem bibliothecarium de statu bibliothecae et novi archivi, quorum praefecturam tunc susceperat, scripsit: « *alla biblioteca è congiunto l'archivio Vaticano . . . ; non se ne trova indice nè moderno nè anticho* » <sup>2</sup>. Index a Contelorio desideratus per tria fere saecula delituit; proximis annis nescio unde pervenit in bibliothecam privatam, inde nuper emptus est a I. C. Rossi eq. Qui non modo pretiosum volumen mihi utendum ultro concessit; sed probe intelligens valde decere, ut in propria sede huius modi liber tandem collocetur, eum bibliothecae pontificiae dono dandum censuit, et generosi propositi me constituit procuratorem. Qua de re publicas ei gratias ago.

<sup>1</sup> V. Gregorii Palmieri, *Ad Vaticani archivi Romanorum pontificum regesta manuctio*, Romae 1884.

<sup>2</sup> Cod. Vat. 7763 p. 129; Beltrani in *Arch. della soc. Rom. di st. patria* II (1878) p. 195.

## CAPUT XVI.

**De indicibus codicum bibliothecae Vaticanae  
a saeculo XVII ad haec usque tempora.**

Postremum hoc caput mei commentarii perstringam brevissime; properans ad ea, quae de hodierna editione praemonenda sunt. In unaquaque enim serie codicum, Vaticana, Urbinate, Alexandrina, Ottoboniana, Capponiana, quemadmodum in Palatina ab H. Stevenson sen. factum iam est, indices veteres et novi, obsoleti et in quotidianum usum etiam nunc adhibiti, manu scripti et typis impressi recensendi erunt et excutiendi. Interim legi possunt, quae de iis summatim dixi in libello saepe citato de bibliotheca sedis apostolicae p. 8-11, 47-53. Sed ne sua cuique laus desit, nonnulla silentio praetereunda non sunt; quae, distinctius quam in libello edito a. 1884, nunc attingam.

Dum a fratribus Rainaldis conficiebantur tabulae codicum Latinorum ad n. 1 usque ad 6025, digestae in tomos sex *inventarii* et unum indicis, quorum capite superiore memini, index codicum Graecorum a Leone Allatio in duo volumina redactus est ad n. usque 1489. Graeci codices tunc extabant 1566, praeter nonnullos Cryptoferratenses nondum numeratos <sup>1</sup>. Contelorius valde optavit procuravitque, ut *inventarium* codicum Graecorum eorumque index locupletissimus a Leone Allatio perficerentur. Incepto viri doctissimi et impigri, praeter mis-

<sup>1</sup> V. Contelori, l. c. ed. Beltrani, l. c. p. 192.

sionem ei datam in Germaniam, ut codices bibliothecae Heidelbergensis Romam deferendos curaret<sup>1</sup>, obstitit praefectus bibliothecae suffectus in locum Contelorii, Horatius Iustinianus. Impedimenta ab eo obiecta operi Allatiano narrantur a Stephano Gradio in vita Allatii; quam e schedis Vallicellanis imperfectam edidit Angelus Mai<sup>2</sup>, plenioram repperit Ioseph Cozza in codice autographo auctoris, et mecum amice communicavit. Quae supplementa historiae viri celeberrimi et de litteris ac bibliotheca optime meriti ipse sedulus repertor, spero, in lucem emittet. Indices, quos Allatius perficere haud potuit, et descriptiones codicum Graecorum, quibus series Vaticana ad nostra usque tempora aucta est, continuatae deinde sunt et expletae: praesertim hoc ineunte saeculo a Hieronymo Amati et proximis annis a Iosepho Cozza tunc scriptore Graeco nunc *vice-bibliothecario*, qui peculiare volumen confecit codicum Graecorum Basilianorum (olim coenobii Cryptaeferratae) et Columnensium. Perficiendo operi Allatiano nunc studet Cosmas Stornaiuolo adiutor praefecti musei sacri in bibliotheca Vaticana.

Codices Latinos describi intermissum nunquam est; quum eorum copia in serie Vaticana perpetuo adcreverit et fere quotannis adcreseat. In calce tomi septimi *inventarii*, quo describuntur codices 6026-6458, legitur: *Ego Petrus Colista scriptor Latinus dictae bibliothecae scripsi anno Christi MDCXL pontificatus SS<sup>m</sup>i D. N. D. Urbani Papae VIII XVI*. Tomus octavus a n. 6461 ad 7058, redactus vertente saeculo XVII, incendio periit; eius tamen schedae prototypae servatae sunt. Renovatus est praeterito saeculo im-

<sup>1</sup> V. Stevenson sen., Cod. mss. Graeci Palat. p. III, IV.

<sup>2</sup> Nova patrum bibl. VI p. V et seqq.



perfecte ab Angelo Battaglini; proximis annis diligentius ab Hegisto Ceccucci scriptore Latino. Nonus a n. 7059 ad 7244, decimus a n. 7245 ad 8471 eodem saeculo exeunte et hoc ineunte ab Angelo Battaglini aliisque scriptoribus confecti sunt. Sed quum tomus decimus primis rudibusque lineis praeparatus potius quam perfectus videretur, ac praesertim collectanea Aloysii Galletti in eo recensita, quae 250 fere voluminibus constant et historiae urbanae mediae aevi instrumentum sunt locupletissimum, vix brevibus formulis essent indicata, totum volumen ex integro reficiendum suscepi adiutore Edwardo Marchetti et in duos tomos divisi, priorem a n. 7245 ad 8066, alterum a n. 8067 ad 8471. Praeterea aggressus sum condere tomum XI a n. 8472 ad 9019, quo in opere longo adiutus valde sum a doctis collegis scriptoribus linguarum Orientalium Al. Vincenzi cl. mem. et Paulo Scapatucci v. c. Honoris quoque gratia commemorabo Franciscum Massi cl. mem. scriptorem Latinum, poetam utriusque linguae facultate et elegantia celebratissimum, qui nonnullos codices poetici argumenti excussit descripsitque. Tomum XII a n. 9020 ad 9445 sine adiutore confeci; in quo, praeter codices plurimos argumenti multiplicis et originis variae, descripsi seriem chartarum et librorum manu scriptorum Caietani Marinii a me ordinatam et digestam in volumina 131 a n. 9020 ad 9151 <sup>1</sup>. Denique digessi tomum XIII a n. 9446 ad 9849 nonnunquam vocatis in societatem laboris Al. Vincenzi et Iosepho Cugnoni v. c. In hoc tomo recensentur chartae, libri manu scripti et typis impressi inspersi adnotationibus autographis Angeli Mai,

<sup>1</sup> V. quae praefatus sum ad Caietani Marinii, *Iscrizioni antiche doliari*, Roma 1884, p. III, IV.

cuncta a me prius ordinata et digesta in volumina 115 a n. 9529 ad 9644. Indices auctorum, rerum, locorum, hominum, quorum in tomis XI, XII, XIII mentio fit, mea cura et ductu compositi sunt a Iosepho Gatti. Schedas patrum Maurinorum de epistolis Romanorum pontificum et de conciliis Galliae in ordinem redegit ipse I. B. Pitra v. em. bibliothecarius: inde initium fiet tomo XIV *inventarii* codicum Latinorum. Ceteri codices Latini recens inlati in bibliothecam, quibus nondum certa sedes vel numerus sunt attributi, nunc ordinantur ab Henrico Stevenson iun. scriptore Graeco et a Generoso Calenzio scriptore Latino: eorumque descriptio inchoata est ab Horatio Marucchi scriptore Latino.

Haec de serie codicum Latinorum et Graecorum, quae proprie dicitur Vaticana. De codicibus linguarum Orientalium nunc non opus est dicere; eorumque mentio aliqua fiet capite sequenti. Ceterae series codicum, statim ac in bibliothecam pontificiam inlatae, instructae sunt descriptione (*inventario*) et indicibus. De serie Palatina diligenter expositum est ab Henrico Stevenson sen. in praefatione ad codices Graecos; neque parum lucis afferent tabulae originum codicum singulorum, quae ab Henrico Stevenson iun. parantur, adiiciendae volumini altero huius editionis. Indices et historia bibliothecarum Urbinatis, Alexandrinae sive Christinae Reginae Svecorum, Ottoboniana, Capponiana, quibus Vaticani thesauri saeculis XVII et XVIII plus quam duplo aucti sunt, illustranda erunt in proemiis iuxta praescriptum praemittendis singulis classibus codicum Vaticanorum <sup>1</sup>. Interim, si lubet, confe-

<sup>1</sup> Cf. epistolam dedicatorem I. B. Pitra cardinalis bibliothecarii S. E. R. ad Leonem XIII pont. max. in tomo codicum Palatinorum Graecorum p. X.

rantur quae perstrinxi in libello de bibliotheca sedis apostolicae p. 8-10.

Indices librorum impressorum ab argumento huius commentarii prorsus alieni sunt. Sed propter affinitatem, quae intercedit inter codices manu scriptos et ea, quae appellamus incunabula artis typographicae, non tacebo Aloisium Zappelli scriptorem Latinum superioribus annis confecisse tabulas librorum impressorum saeculo XV extantium in bibliotheca Vaticana digestas in seriem annorum et in tria volumina dispertitas, quibus postea addidit, tanquam supplementum, volumen quartum. Idem recensuit quoque libros Aldinis typis impressos.

## CAPUT XVII.

### De editione indicum bibliothecae Vaticanae Assemaniana et eius supplementis.

Ineunte saeculo XVIII Ioseph Simon Assemani, quum plurei Vaticani codicum, quos dicimus Orientalium, liberalitate Clementis XI valde ditati essent, anno 1719 edendam suscepit *Bibliothecam Orientalem Clementino-Vaticanam*, cuius tria volumina in lucem emisit annis 1719-1728<sup>1</sup>. Tum auctoritate Innocentii XIII a. 1721 parari coeptus est *catalogus* plenissimus codicum omnium Vaticanorum typis vulgandus. Anno 1736 opus alacriter proce-

<sup>1</sup> De indicibus codicum Orientalium bibliothecae Vaticanae, item Graecorum vulgatis ante editiones Assemanianas v. Blume, *Iter Ital.* III p. 100 et seqq.

debat <sup>1</sup>; denique annis 1756-59 editi sunt tomi tres hoc titulo: « *Catalogus bibliothecae apostolicae Vaticanae codicum mss. in tres partes distributus; in quarum prima Orientales, altera Graeci, tertia Latini, Italici aliorumque Europaeorum idiomatum codices: ed. Steph. Evodius Assemanus archiepiscopus Apamensis et Ioseph Simonius Assemanus eiusdem bibliothecae praefectus* ». Totum opus in viginti volumina distributum complecti debuit « *non modo scriptorum nomina ac singulorum voluminum argumenta, sed ea quoque, quae conspicua notatue digna in codicibus occurrunt* » <sup>2</sup>. Codicibus Orientalibus adsignata sunt sex volumina, Graecis quattuor, Latinis et ceterarum linguarum decem. Immensi operis propositum vix longissimo temporis cursu perfici potuisset; id quod vere Mazucchellius scripsit desiderandum potius esse, quam sperandum <sup>3</sup>. Sane die 30 Augusti anno 1768 decem foliis voluminis quarti iam impressis fortuito incendio absumptis, auctores infortunio et senio oppressi animum desponderunt. Assemanis vita functis, toto apparatu ingentis operis sive concremato una cum foliis typis impressis sive disperso, de codicibus Graecis ac Latinis describendis et incepta editione continuanda non omnis quidem spes abiecta est <sup>4</sup>, sed defuit qui propositum magno animo susciperet. Ea deinde tempora sequuta sunt, quibus de edendis indicibus Vaticanis ne cogitari quidem potuit. Anno 1797 iure belli procuratores Gallorum quingentos codices praestantissimos e bibliotheca Vaticana delectos trans-

<sup>1</sup> V. *Leipz. gel. Zeitung* a. 1736 p. 401.

<sup>2</sup> Assemani, l. c. I p. XV: cf. *Acta eruditorum Lat. suppl.* VIII p. 2.

<sup>3</sup> *Scrittori Ital.* II, 1 p. 4.

<sup>4</sup> V. Lunadoro, *Relazione della corte di Roma, accresciuta ed illustrata da Francescantonio Zaccaria*, Roma 1774 p. 237.

miserunt Parisios; qui descripti in indice edito Lipsiae a. 1803 <sup>1</sup>, pacata deinde Europa, paucis exceptis, postliminio in pristinam sedem reversi sunt. Anno 1798, quum Galli eorumque fautores Urbe potirentur, bibliothecae Vaticanae nummotheca, glyptotheca, museum Christianum gravissimis damnis affecta sunt; libris autem et codicibus praedatores pepercere. Privata vero bibliotheca Pii VI pontificis, ditissima codicum manu scriptorum et librorum rarissimorum saeculi XV, misere dispersa est; neque delecti codices et libri Parisios missi potuerunt recuperari <sup>2</sup>.

Rebus Europae compositis, codices Palatini scripti lingua Theutonica, pauci Graeci, inter quos celeberrima anthologia, item pauci Latini redditi sunt bibliothecae Heidelbergensi; quorum indicem edidit Creuzerus <sup>3</sup>. Deinde Angelus Mai, immortalis memoriae vir, coepit curare de supplementis indicum Assemanianorum codicum Orientalium <sup>4</sup>. Sed intentus expromendis thesauris, quae mira sagacitate et felicitate detexerat, de intermisso opere Assemaniano continuando ac praesertim de describendis codicibus Graecis ac Latinis utrum cogitaverit, ignoro: ea certe de re in eius scriptis nil notatum vidi <sup>5</sup>. Praeter prolixa supplementa recensione codicum Orientalium, vulgavit tantum modo peculiarem libellum indicis pa-

<sup>1</sup> V. Stevenson sen. in praef. ad codd. Graecos Palat. p. XXII: cf. Delisle, *Cabinet* etc. I p. 288.

<sup>2</sup> Mazzatini, *Manoscritti italiani delle biblioteche di Francia*, Roma 1886 I p. CLXXVI et seq. (in *Indici e cataloghi pubblicati dal Ministero della pubblica istruzione* tom. V).

<sup>3</sup> Catal. codicum Palat. academiae Heidelb. restitutorum, Heidelbergae 1816: cf. Stevenson, l. c. p. XXII.

<sup>4</sup> Script. vet. IV P. II p. 1-713; V P. II p. 1-170, 239-251.

<sup>5</sup> Bethmannus in Pertz, *Archiv* XII p. 215, scripsit ab Angelo Maio a. 1833

pyrorum Aegyptiacorum bibliothecae Vaticanae, lingua vulgari anno 1825 <sup>1</sup>. Itaque tabulae codicum Orientalium Vaticanorum fere pro editis possunt haberi. Quidquid supplendum erit, quod ad codices Syriacos et Arabicos attinet, iam paratum est ab Augustino Ciasca ord. s. Augustini scriptore linguae Arabicae; quod ad Hebraicos, parare coepit Marianus Ugolini scriptor linguae Hebraicae.

Dum de indicibus codicum Graecorum et Latinorum edendis neque ab Angelo Maio neque ab aliis Romae cogitatur, eorum recensio manu scripta tota a pluribus percurritur, et ampla inde excerpta publicantur <sup>2</sup>.

## CAPUT XVIII.

### De editione hodierna.

Anno 1871 Pius IX pont. max. instituit in bibliotheca Vaticana consilium praefectorum eius, Aloisii Vincenzi scriptoris linguae Hebraicae et auctoris huius commentarii; qui praeside I. B. Pitra bibliothecario S. E. R. referrent de statu bibliothecae ac

edendum fuisse primum volumen codicum Graecorum ab Assemanis praeparatum. Sed neque hic Assemanianus apparatus extat, neque ab Angelo Maio quidquam huius modi tentatum inceptumve est.

<sup>1</sup> Papyracea diplomata Latina, non bibliothecae tantum Vaticanae, sed quaecunque reperiri potuerunt, collegit et luculenter illustravit Caietanus Marinus notissimo volumine dicato honori Pii VII; quibus addenda est papyrus ab Angelo Maio reperta inter codices Ursinianos (Class. auct. V p. 362, 363).

<sup>2</sup> V. Blume, l. c. III p. 13-114; IV p. 264-283; Bibl. librorum mss. Italica p. 126 et seqq.; Greith, Spicilegium Vaticanum, Frauenfeld 1838; Pertz, *Archiv* III p. 414-430; Bethmann in Pertz, *Archiv* XII p. 201-374; Dudik, *Iter Rom.* Wien 1855 p. 122-294.

praesertim de recensione codicum et librorum; curarentque, ne quid in tabulas, quae *inventaria* dicimus, minime descriptum remaneret. Tunc mihi, cui ob ingentem copiam codicum Latinorum et linguarum recentiorum, maior cura incumbibat, et qui ab anno 1851 in iis ordinandis describendisque versabar, data est omnis facultas, quae levando labori et rei expediendae conducere. Itaque recensio bibliothecae, cui providendum erat ante quam de editione indicum consilia inirentur, fere ad exitum perducta dici potuit anno 1877.

Leo XIII pont. max. statim ab inito pontificatu bibliothecae Vaticanae et litterarum, qui eius copiis utuntur, commodis consulens, veteres leges sanxit, novas edixit, denique indices codicum manu scriptorum, praesertim Graecorum ac Latinorum, post intermissum opus Assemanianum a doctis diu expetitos typis edi iussit. Re in consilio, cuius initio praefationis mentio facta est, mature deliberata et provisa, decretum est incipiendum a recensione codicum insignis bibliothecae Palatinae, quippe cuius impensius optata videretur editio; praescriptum autem operis Assemaniani prorsus mutandum et ad formam parabilem redigendum.

A codicum enim singulorum descriptione proluxa et critico examine, quae non nisi in mediocri eorum serie exigi possunt, qui maximas bibliothecas recensendas suscipiunt abstinere necesse est, ne de exitu inceptus interminati desperandum videatur. Neque enim huius modi recensio et editio tantum Vaticana post emissum tertium volumen intermissa est; sed et Regia Parisiensis post quartum. Cui, elapso centum fere et quinquaginta annorum intervallo, manum hoc tempore admovit Leopoldus Delisle, contentus interim edendis brevissimis indiculis codicum singulorum. Ea vero nunc habetur iusta et probata harum recensione forma, quae adhibita est edendis

tabulis codicum Vindobonensium, Monacensium, Oxoniensium<sup>1</sup>. Itaque ad eam fere normam editionem, quam aggressi sumus, redigi placuit. Neque tamen ad eandem rigide legem singulae operis partes exiguntur. Latini enim codices, quorum numerus prae Graecis longe excellit, aetas vero saepe recens est, dignitas non raro humilior, expeditius tractandi sunt; habenda quoque ratio est antiquitatis, ut cura impensior adhibeatur describendis libris antiquissimis; argumenta vero codicum aevi sequioris et praesertim infimi quantum satis est indicentur. Neque adnotationes de pseudonymis, de anonymis, de iis, qui singulos codices Latinos ediderunt vel illustrarunt, descriptioni adiici permissum est; tantum modo vera nomina auctorum, quoties ea facili negotio reperiri potuerunt, intra parentheses sunt inclusa. Graecorum codicum descriptio ad hanc normam minus severe exacta est. Itaque inter rationem, qua in hac editione recensentur codices Graeci et Latini, nonnulla intercedit varietas. Graecorum minima quaeque notantur; Latinorum nihil quidem praeteritur, sed quatenus satis est ad argumenti et codicis notitiam vulgandam. Denique notae singulis saepe libris initio vel ad calcem appictae, unde eorum originem et migrationes ediscimus, neglectae non sunt; sed reservatae tabulis, quae absolutae codicum recensionem subiicientur. Ceterum totam rationem huius editionis res ipsa magis, quam prolixa praefatio declarabit. Quae opere procedente videbantur singillatim monenda, Henricus Stevenson iunior adnotavit et exponet.

Nunc, quum collegae impigri praecipuus adsiduusque labor et peritia magnopere laudanda sint, quid in opere conficiendo ille

<sup>1</sup> V. *La bibl. della sede apost.* p. 13.



praestiterit, quae in eius orsu dirigendo et processu recognoscendo meae partes fuerint, paucis indicabo. Descriptio bibliothecae Palatinae confecta paullo post quam Allatius opimis spoliis onustus Romam pervenit, indiligens quidem dicenda non est: collatis autem singulis codicibus deprehendimus plurima fragmenta praesertim minutiora in ea esse neglecta, nonnunquam etiam partes uniuscuiusque libri non minimas vel generali titulo ad earum notitiam adipiscendam minime idoneo comprehensas esse, vel prorsus praeteritas. Quare experientia edoctis necessarium visum est eam descriptionem prae oculis quidem habendam; quod ad editionem vero attinet, omnino esse seponendam, ita ut nova ex integro recensio institui deberet. Inde intelligitur, cur editio minore, quam initio speravimus, celeritate processerit.

Igitur descriptio codicum Latinorum bibliothecae Palatinae tota ab Henrico Stevenson iun. digesta est. Singulas schedas cum ipsis codicibus contuli; si quae ambigua aut difficiliora mihi expendenda reservabantur, explevi; scripturas palimpsestas intentis oculis examinavi nullis adhibitis venenis, ut litterae abrasae reviviscerent. Neque enim, praeter palimpsesta varia et insignia codicis 24 iam a Niebuhrio inspecta et illustrata, cetera eius pretii visa sunt, quae chemici medicamento vim requirerent et eius usum spe inveniendi aliquid luce dignum excusarent. Ipse palimpsestorum fere dixerim repertor, Angelus Maius, quem ob adhibita medicamenta « solent nonnulli nimia cum contumelia verborum vituperare »<sup>1</sup>, ea caute neque nisi urgente necessitate adhibuit.

<sup>1</sup> Verba sunt Guillelmi Studemund, quo nemo nunc in legendis palimpsestis peritior habetur (Emendationes Frontonianae, Berolini 1874 p. 117).

De singulorum codicum aetate, quae quam anceps iudicatio sit, periti norunt, attente inquisivi. Neque eam rem semel, sed iterum quoque et tertio examinavi, collatis quoque et expensis iudiciis eorum, quibus de uno et altero vel pluribus codicibus Palatinis sententiae ferendae occasio oblata est. Nostra autem iudicia de aetate codicum Palatinorum decimo fere vel undecimo saeculo antiquiorum saepissime confirmantur testimonio indicum veterum bibliothecae praesertim coenobii Laureshamensis s. Nazarii, quae cum Palatina coaluit. In iis porro indicibus confectis exeunte saeculo nono, ineunte decimo codices nunc superstites plurimi agnoscuntur, eorumque inde aetatis argumentum certum elicitur. Sed haec satis sit generatim praemonuisse; ne praeoccupentur, quae ab Henrico Stevenson iun. dicenda erunt in volumine altero de tabulis singulorum codicum originem referentibus, ut conspectus bibliothecarum veterum, quibus Palatina conflata est, restituatur.

De cura editionis et plagulis emendatis eadem fere, quae ab Henrico Stevenson sen. dicta sunt, haec forent repetenda. Praeter enim quam quod in eam curam attentissime incubuit, qui huius descriptionis auctor censendus est, Henricus Stevenson iun., neque ulla pagina praelo data est quin a me quoque recognita sit, errores tyopthetarum sedulo, ut solet, sustulit Ioseph Gatti de editione huius voluminis Latini, quemadmodum de Graeci, optime meritis. Ipse quoque I. B. Pitra vir em. bibliothecarius cuncta perlegit typis composita, ante quam praelo subiicerentur; et ea qua pollet doctrina litteraturae praesertim sacrae identidem de pseudonymis, anonymis aliisque id genus intra parentheses adnotandis nos monuit. Qua in suscepti muneris parte multa desiderari, nonnulla etiam minus fortasse recte notata esse non nos

fugit. Sed operis lex, ut codices potissimum quemadmodum sunt describerentur, neque processus recensiois exacta diligentia inquirendi verum nimis retardaretur, obstitit ne inceptum ex animi voto omni parte expleremus. Sacrarum igitur et profanarum litterarum docti et studiosi, quorum commodis nostra editione inserviendum est, haec aequi bonique consulant; et quidquid eis videbitur censoria virgula notandum, cum Henrico Stevenson iun. vel mecum amice communicent, ut in tabulam emendationum ad calcem voluminis secundi possit referri.

---

## CODICES PALATINI LATINI

---

1. Membranaceus in folio, saeculi XV, constans fol. 499, picturis illustratus.

BIBLIA SACRA Veteris et Novi Testamenti, cum prologis s. Hieronymi. — Rhabani prologus in lib. Machabaeorum ad Ludovicum regem f. 350. — Alius prologus ad Giroldum sacri palatii archidiaconum f. 353. — Interpretationes hebraicorum nominum ord. alph. f. 465.

2. Membr. in f. saec. X, fol. 222.

TESTAMENTUM VETUS usque ad lib. 2 Paralip. cum prologis s. Hieronymi; codex mutilus in fine Geneseos et in principio Exodi (desunt quaterniones 2, 3, 4).

- 3-5. Membr. in f. saec. IX, picturis illustrati.

VETUS ET NOVUM TESTAMENTUM, cum prologis s. Hieronymi.

3. fol. 167. — Vetus Testamentum, pars prior. Inest, f. 43, de s. Matthia ap. homilia imperfecta; incipit « *Inclytam et gloriosam festivitatem beati Mathiae* ». Codex mutilus inter f. 98 et 99; desunt pars ultima Sophoniae, liber Aggaei et initium Zachariae.
4. fol. 148. — Vetus Testamentum, pars altera (sine Psalmis).
5. fol. 93. — Novum Testamentum. — Liber Psalmorum Vet. Test. cum prologo inscripto « Origo prophetiae David regis » f. 80.

- 6-7. Membr. in f. saec. XV.

BIBLIA SACRA Veteris et Novi Testamenti, cum prologis s. Hieronymi.

6. fol. 210. — Vetus Testamentum usque ad lib. Iob.
7. fol. 265. — Vet. Testamenti pars altera. — Novum Testamentum f. 138 v. — Interpretatio hebraicorum nominum f. 230.

8. Chartaceus in f. scriptus anno 1419, fol. 427, picturis illustratus.  
 BIBLIA SACRA Veteris et Novi Test. cum prologis s. Hieronymi. — Argumenta librorum; inc. « 1. *Paulus arguit gentes*; 2. *arguit Iudaeos*; 3. *scilicet arguit utrosque*; 4. *noñ Habraam patrem*; 5. *reconciliavit nos Deo Domini mors* » f. 1-7. Folia aliquot desiderantur post f. 11, a fine prologi s. Hieronymi ad initium Geneseos.
9. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 227.  
 TESTAMENTUM VETUS usque ad Psalmos; cod. mutilus inter f. 206 et 207, a fine lib. Iudith ad initium ps. 40. In calce: « Concordantia Bibliae per versus singulorum libror. capitulor. nec non sententiar. » scr. a. 1345. — « Quotationes epistolarum et evangelior. per annum » f. 225.
10. Membr. in 8, saec. XV, fol. 210, pict. ill.  
 VETUS TESTAMENTUM a Regibus ad Iob, cum prologis s. Hieronymi. — Machabaeorum lib. 1-2 f. 180.
11. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 179.  
 BIBLIA SACRA Vet. et Novi Test. a fine cap. VIII Proverbiorum, cum prologis s. Hieronymi. — Ep. s. Pauli ad Laodicenses f. 150. — Interpretationes hebraicorum nominum, fine mutilae, f. 178.
12. Membr. in f. saec. XV, fol. 228.  
 BIBLIA SACRA Vet. et Novi Test. a Proverbiis, cum prologis s. Hieronymi.
13. Membr. in 4, saec. XV, fol. 453, pict. ill.  
 BIBLIA SACRA Vet. et Novi Testamenti, cum prologis s. Hieronymi. — Interpretationes nominum hebraicorum f. 413.
14. Membr. in 4, saec. IX, fol. 179.  
 TESTAMENTUM VETUS usque ad lib. Ruth, cum prologis s. Hieronymi. — F. 1 inserta est lectio s. evangelii sec. Marcum (cap. v).  
 Varia a variis eodem fere tempore addita, scil.: Oratio liturgica pro defunctis: — Rihcerii (sic) et Ratelmi monachorum adnotatio de psalteriis decantatis pro Hodane comitissa: — Excerptum glossarii latini et nonnullae sententiae f. 178 v.  
 Fragm. lectionarii (e libro Regum) f. 179.
15. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 443.  
 BIBLIA SACRA Vet. et Novi Test. cum prologis s. Hieronymi. Glossae

in marginibus alia manu. — Interpretationes verb. hebr. f. 408. — Index lectionum per annum f. 441 v.

16. Membr. in 8, saec. XV, fol. 144.

TESTAMENTUM VETUS usque ad lib. Ruth, cum prologis s. Hieronymi.

17. Membr. in 8, saec. XII, fol. 385, picturis illustratus.

TESTAMENTUM VETUS, cum prologis s. Hieronymi.

« Ad faciendum incaustum » f. 217 v.

18. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 391.

BIBLIA SACRA Vet. et N. Test. cum prologis s. Hieronymi et adnotationibus in marg. etiam graecis et hebraicis. — Duobus foliis sine numero, saeculi XV vel XVI, principio et fine codicis, continentur epistola s. Hieronymi ad Sophronium et indices Bibliorum.

19. Membr. in 8, saec. XIII, fol. 332, pict. ill.

BIBLIA SACRA Vet. et N. Test. cum prologis s. Hieronymi.

20. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 446.

BIBLIA SACRA Vet. et N. Test. cum prologis s. Hieronymi et Rhabani ad Ludovicum imp. — Interpretationes voc. hebr. f. 398. — Argumenta librorum; inc. « *opera Rex; lignum prohibet; Adam et Eva peccant; occiditur Abel; transfertur Enoch; Noe Archa fit; Noe et sui intrant* » f. 437. Argumenta Novi Test. eadem sunt quae in cod. 8. — Historia biblica ab Adam ad Ananiam et Saphiram; inc. « *Vos qui concupiscitis statum vestrum scire* » f. 444 v.

21. Membr. in 8, saec. XV, fol. 389.

BIBLIA SACRA Vet. et N. Test. cum prologis s. Hieronymi.

22. Membr. in 8, saec. XV, fol. 263.

BIBLIA SACRA Vet. et N. Test. cum prologis s. Hieronymi.

23. Membr. in 12, saec. XV, fol. 613.

BIBLIA SACRA Vet. et N. Test. cum prologis s. Hier. et Rhabani ad Ludovicum imp. — Interpretationes voc. hebr. f. 557. — Tabula lectionum per annum f. 608.

24. Membr. in 12, saec. VII vel VIII, fol. *a-e* 176, litteris uncialibus varia manu; folia 1-8, 17-37, 54-71 suppleta litteris uncialibus saeculi fortasse IX: 9 et 16 item suppleta litteris minusculis saec. facile XI.

VETERIS TESTAMENTI pars continens Tobiam (initio mutilum; incipit a fine cap. 2), Iudith f. 34, Iob f. 82 (praecit prologus s. Hier. f. 77), Esther f. 150 (fine mut.). — Antiquiora folia, id est quae supersunt prima manu, fere cuncta palimpsesta. Exhibent fragmenta Titi Livii Historiarum libri CXI: Ciceronis orationum pro Pompeio, pro Rabirio, pro Sexto Roscio: Senecae de Amicitia et de Vita patris: Lucani Pharsaliae e libris VI et VII: Mythographi anonymi: ignoti auctoris de Pompeio et graeca medicinalia; de quibus omnibus B. G. Niebuhr, M. T. Ciceronis orationum, T. Livii et L. Senecae fragmenta e membranis Bibliothecae Vaticanae, Romae 1820. — Initio codicis, chartaceis foliis *a-e*, manu B. G. Niebuhrii: « Collatio paginarum quarum scriptura recentior, postquam antiquae atramento color redditus est, minus distincte apparere videri possit ».

25. Membr. in 12, saec. XIV, fol. 102.

BIBLIORUM SACR. Vet. et N. Testamenti pars, continens Prophetas 12 minores et Novum Testamentum, praetermissis Act. apostolorum.

« Quaestio de hoc quod dicit apostolus: Omnia licent sed non omnia expediunt » f. 90 v.

Tabula lectionum per annum f. 98.

Sermo in die cinerum; inc. « *Convertimini ad me in toto corde vestro etc. Iohelus. Quando aliquis pater benignus habet filium disolum (sic)* » f. 100 v.

« Quaeritur quare homo factus est ad ymaginem et similitudinem Dei » f. 101.

Tabula lectionum f. 101 v.

Carmina festa sanctorum designantia; inc. « *Cisius janus ephi* » f. 102.

Argumenta libror. Vet. Test.; inc. « *Quinquaginta genesis* » f. 102 v.

26. Membr. in 12, saec. XV, fol. 194.

PSALTERIUM cum adnotationibus in marg. latinis et germanicis. Praecedunt Kalendarium cum imaginibus mensium et Evangelium figuratum. — Canticum Zachariae f. 189 v. — Cant. b. Mariae virg. f. 190 v. — Cant. Simeonis — « *Te Deum laudamus* » f. 191. — « *Quicumque vult salvus esse* » f. 192. — Nota anni 1548 in calce codicis pertinet ad possessorem, cuius nominis litterae initiales sunt adscriptae

## 27. Membr. in 8, saec. XIII, fol. 109.

PSALTERIUM initio mutilum, inc. a ps. xv. — Canticum Zachariae f. 103. — « Te Deum laudamus » f. 104. — « Quicumque vult salvus esse » f. 105. — Litaniae sanctorum et preces f. 106v.

## 28. Membr. in 8, saec. XIII, fol. 101.

PSALTERIUM. — Cantt. Zachariae et b. Mariae virg. f. 96. — Cant. Simeonis — « Te Deum laudamus » f. 96v. — Oratio dominica f. 97. — Symbolum apostolorum — « Quicumque vult salvus esse » f. 97v. — Litaniae sanctor. et preces f. 99.

## 29. Membr. in 8, saec. XIII, fol. 107.

PSALTERIUM. — Initio codicis, f. 1, preces liturgicae pro defunctis et f. 1v. laterculus expensarum lingua germanica, manu saec. XIV. — « Te Deum laudamus » f. 103. — Cant. Zachariae f. 103v. — Cantt. Simeonis et b. Mariae virg. f. 104. — Oratio dominica — Symbolum apostolorum — « Quicumque vult salvus esse » f. 104v. — Litaniae sanctor. f. 106. — Folio ultimo, sine numero, adhibito in compactione codicis, pagella alterius psalterii (ps. 67, 65).

## 30. Membr. in 8, saec. XII, fol. 200, picturis illustratus.

PSALTERIUM. — Initio codicis, f. 1, rhythmus ad b. Virg.; inc. « *ecce ad te confugio uirgo nostra saluatio* » et, f. 2, preces liturgicae ante et post communionem et pro defunctis. — Hymnarium divini officii; inc. « *Primo dierum omnium* » f. 123. — Officium b. Virg. a Purificatione ad Adventum f. 155. — Officium Domini ab hora prima usque ad completam f. 160. — Divini officii rubricae per annum f. 163. — « *Agenda mortuorum* » f. 185. — Preces ante et post psalmos cum psalterio breviato et litaniiis sanctorum f. 190.

## 31. Membr. in 12, saec. XIII, fol. 159.

PSALTERIUM; praecedunt Kalendarium et picturae evangelicae.

## 32. Membr. in 12, saec. XIII, fol. 129.

PSALTERIUM usque ad ps. 98 mutilum; praecedit Kalendarium manu saec. XIV, cum additamentis et necrologio eiusdem aetatis et saeculi XV.

## 33. Membr. in 12, saec. XIII et XIV, fol. 226.

PSALTERIUM cum canticis Isaiae, Ezechiae, Habacuc, trium Puerorum et Zachariae. — « Te Deum laudamus » f. 160v. — « Quicumque vult salvus esse » f. 161v. — Litaniae sanctor. et preces



variae f. 164. — Officium b. Virg. f. 176. — Officium mortuorum f. 194. — Preces liturgicae de s. Acacio et sociis martyribus f. 205 v. — Rhythmus de laudibus b. Mariae virg; inc. « ... cedunt laudes virginis admirande » f. 206 v. — Hymnarium; inc. « *In pascha. Vita sanctorum* » f. 208. Initio codicis, f. 1, hymnus « (P)rimo dierum omnium »; fine, Litaniae f. 224 v. et initia psalmodum f. 225.

Fragmentum instrumenti exhibens subscriptionem G. . . . imperialis notarii saec. XIV vel XV f. 226 v.

34. Chart. in 12, saec. XV, fol. a-g 182.

PSALTERIUM et cantica e Vet. Test. Praecedunt, f. a-g, excerpta e psalterio, sententiae e Novo Testamento et preces. — Cant. Zachariae f. 178. — « Te Deum laudamus » f. 178 v. — Litaniae sanctorum f. 179 v.

35. Membr. in 16, saec. XIV et XV, fol. 147.

PSALTERIUM; praeit oratio inc. « *Suscipere digneris domine* ». — Cantica e Vet. Test. ad usum liturgicum f. 119 v. — « Hymnum (sic) S. Niceti » — « Te Deum laudamus » f. 127. — Hymnum trium Puerorum — Canticum virg. Mariae f. 128 v. — Cant. Zachariae f. 129. — Cant. Simeonis — Hymnus angelorum « *Gloria in excelsis deo* » f. 129 v. — Oratio dominica — Symbolum apostolor. f. 130. — Symbolum nicaenum f. 130 v. — « Fides catholica Sci. Athanasii »; inc. « *Quicumque uult saluus esse* » f. 131. — Litaniae sanctorum f. 132 v. — « Agenda mortuorum » f. 136. — Commendatio animae f. 142 v. — Hymni; inc. « *Ad cenam agni* » f. 146.

36. Membr. in 16, saec. XIII, fol. 318.

PSALTERIUM; praeit, f. 1-6, Kalendarium. — Cantica e vetere Testamento f. 281. — Cant. Zachariae f. 300. — « Cant. angelor. » (sic) « Te Deum laudamus » f. 301. — Cant. b. Mariae Virg. f. 303. — Cant. « Zachariae » (Simeonis) f. 304. — « Quicumque uult saluus esse » f. 304 v. — Litaniae sanctor. f. 309 v. — Excerptum ex initio evangelii Ioannis f. 318. — Fragm. hymni ad Iesum Christum; inc. « *(F)ilius virginis agnus (sic) dei salus mundi* » f. 318 v.

37. Membr. in 16, saec. XV, fol. 191.

PSALTERIUM cum invitatorio usque ad ps. 147. Praeit Kalendarium f. 1-2. — Hymnus; inc. « *O lux beata trinitas* » et preces f. 189.

38. Chart. in 12. scriptus anno 1501, fol. 252.

IOANNIS DE TURRECREMATA expositio in Psalmos ad Pium pp. II. — Index psalmodum f. 248.

## 39. Membr. in f. saec. XI, fol. a 233, picturis illustratus.

Tabula epactarum; deinde, alia manu saec. XIII: De solemnitate institutionis ss. Sacramenti sermo; inc. « *(C)onvenit itaque devotioni fidelium sollempnitatem recolere* »; et, manu saec. fortasse XV, sex versus fere deleti; inc. « *Propter Magadarim . . .* » f. a.

Kalendarium, cum necrologio varia manu, (desunt Ian. et Feb.) f. 1.

Litaniae sanctorum f. 6 et 71.

« *Cyclus magnus Paschalis annorum DXXXII* » f. 6 v.

« *Incipiunt nomina episcoporum urbis Romae* » (notae historicae ex lib. pontificali usque ad Stephanum III; a Paulo ad Paschalem I nomina tantum) f. 6 v.

Preces, m. saec. XIII-XIV, f. 16.

« *Sex aetatibus mundi tempora distinguuntur* » etc. explicit: « *Leo annos III, Constantinus annos XV, Leo annos V* » f. 16 v.

Psalmi in dominica prima in adventu domini, m. saec. XIV, f. 18.

« *S. Hieronymi epistola ad Sumiam et Fretelam de psalterio quae de LXX interpretum edicione corrupta sunt* » f. 19.

« *Origo prophetiae regis David* »; inc. « *David filius iesse* » f. 36.

S. Hieronymi praefatio in psalterium f. 37.

Eiusdem (in cod. Eusebii Hieronymi) epistola ad « *Soffronium* » f. 37 v.

(Beda) « *Cur in psalmorum titulis quasi auctorum nomina diversa reperiuntur* » f. 38 v.

« *S. Augustini episc. laus psalmorum* » f. 39.

« *Eiusd. de virtutibus psalmorum* » f. 39 v.

Orationes pro vivis et defunctis ante psalterium recitandae; inc. « *Christus qui es uerus largitor* » f. 41 v.

Carmen de psalterii translationibus; inc. « *Quos sibi pontifices legit Constantia diues || Presul et abba simul meritis electus opimis || Scriptores cauta uarios indagine lustrat || Hoc est psalterium docte collegit in unum* » etc. f. 43; praeit adnotatio ead. manu: « *Wersus anteriores hic qui desunt mea perditum sunt neglegentia* », sequitur: « *exemplar Quadripartiti Psalterii* »; initio codicis adnotatio, manu Pii Martinucci, de carmine hoc desumpto ex cod. sangallensi, quem cathedrali ecclesiae bambergensi obtulit Henricus II imp.

« *Beda presbyteri breuiarium de titulis psalmorum quod de Casiodoro sumpsit* » f. 44.

PSALTERIUM f. 45. — Cantica ad matutinos, Isaiae, Ezechiae, Annae, Moysi, Habacuc, iterum Moysi, trium Puerorum f. 217 v. — « *Ymnus quem S. Augustinus et S. Ambrosius invicem condiderunt* » f. 224 v. — Canticum Zachariae f. 225. — Cant. S. Mariae f. 225 v. — Cant. Simeonis — « *Ymnus angelicus* » f. 226. — Oratio dominica —

Symbolum apostolorum f. 226 v. — « Fides sci. Athanasii ep. »; inc.  
« Quicumque vult salvus esse » f. 227.

« Vesperae de corpore Christi », manu saec. XIII, f. 228 v.

Preces post litanias initio mutilae, m. saec. XI, f. 232 v.

Adnotatio de antiphonis, responsoriis, invitatoriis officii in festo corporis Christi, m. saec. XIV, f. 233.

40. Membr. in f. saec. XV, fol. 147.

« IANNOTII MANETTI Psalterium de hebraica veritate in latinum translatum » ad Alphonsum Aragoniae et Siciliae regem, et translatio s. Hieronymi; praeit index. — Eiusdem « adversus suae novae psalterii translationis obtrectatores apologeticos » f. 107.

41. Membr. in f. saec. XV, fol. 182, picturis illustratus.

Idem opus cum apologetico; praeit index.

42. Membr. in 8, saec. XV, fol. 66.

Idem opus sine apologetico; praeit index.

43. Chart. in 8, saec. XV, fol. 60.

Idem opus sine translatione s. Hieronymi et apologetico. — Christophori Landini et Petri Montispolitani epigrammata in laudem Iannotii Manetti f. 60. — « Epitaphium » (metricum) Iannotii f. 61.

44. Membr. in 8, saec. XI, fol. 143.

NOVUM TESTAMENTUM s. Hieronymi cum ep. ad Damasum. Praecedunt, f. 1 v. manu saec. XII, versiculi psalmodum et symbolum apostolorum. — « Capituli (sic) epistolarum et evangelior. de circulo anni », cum interpolationibus saeculi XV, f. 137.

45. Chart. in 4, saec. XV, fol. 166.

IANNOTII MANETTI Novi Testamenti nova translatio.

46. Membr. in 4, saec. VIII, fol. 149.

« Bernardi liber de amore dei »; inc. « *Venite ascendamus ad montem domini et ad domum Dei Iacob* » (in margine, manu fere coeva, adnotatur non esse s. Bernardi) f. 66 v.

« Bernardi de uita clericorum » f. 84.

« Hugonis de uirtute orandi » f. 113.

304. Membr. in 4, saec. XII, fol. 143; picturis illustratus.

S. BERNARDI clarevallensis sermones. — Initio codicis imagines s. Stephani protomartyris, s. Michaelis archangeli et s. Bernardi librum offerentis, calamo depictae.

## 305. Membr. in 8, saec. XV, fol. 124.

« Beati BERNARDI sermones (XXXV) de diuersis ». — Tabula in duobus foliis praeviis nullo numero signatis.

## 306. Chart. in 4, saec. XV, fol. a 219.

Brevis tabula codicis f. a.

« Beati BERNHARDI abbatis sermones super Cantica » f. 1. — « Tytuli sermonum », i. e. tabula, f. 113 v.

« Beati LEONIS pape sermones de passione domini » f. 114.

« Dni. ARNOLDI Abbatis Bonevallensis libellus de verbis domini in cruce positi » f. 123 v.

« Eiusd. libellus in laudibus sancte dei genitricis et semper virginis Marie » f. 133.

« Dni. RICHARDI expositio in canone (sic) missae » f. 134 v.

S. Bernardi opera quae sequuntur:

I. « Omeli(a)e (quatuor) in laudibus virginis Marie » f. 138 v.

II. « Liber de gratia et libero arbitrio » f. 148.

III. « Liber (de consideratione) ad Eugenium papam (III) » f. 156.

IV. « Ad milites templi (de laude novae militiae) » f. 178.

V. « Libellus de pr(a)cepto et dispensacione » f. 184.

VI. « Libellus de diligendo deo » f. 194.

VII. « Liber apologeticus (in monachos cluniacenses) » f. 202.

VIII. « De gradibus humilitatis » f. 208.

## 307. Membr. in 4, saec. XIV vel XV, fol. 112.

« S. ANSELMI » Cantuariensis opera, sequentibus praemissis titulis:

I. « Responsio pro insipiente » f. 1.

II. « De gram(m)atico » f. 2.

III. « De casu dyaboli » f. 17.

IV. « Liber de azimo et fermentato » f. 18 v.

V. « De sacrificio corporis Christi » f. 20 v.

VI. « De corpore C(h)risti » f. 22.

VII. « Liber de ueritate » f. 30.

VIII. « Liber de processione Spiritus Sancti » f. 35 v.

IX. « Liber de libero arbitrio » f. 45 v.

X. « Cur deus homo », libri duo, f. 50.

XI. « De concordia presciencie predestinacionis et gracie dei cum libero arbitrio » f. 69.

XII. « Liber de conceptu uirginali » f. 78 v.

XIII. « Epistola ad Urbanum papam de incarnatione uerbi vel fide christiana » f. 85 v.

- XIV. Monologium f. 92.  
 XV. Proslogium f. 107.  
 XVI. Meditationes duae f. 110 v.

308. Chart. insertis nonnullis foliis membranaceis. in 4, saec. XV, fol. 181.

- « Registrum librorum huius uoluminis » f. 1 v.  
 « ANSHELMII archiepiscopi Cantuariensis cur deus homo » f. 2.  
 « C(H)RISOSTOMI liber de compunctione cordis » f. 21.  
 « Eiusd. de reparacione lapsi per duos libros » f. 33.  
 « Sci. BERNHARDI Contemplacio de passione domini nostri Ihesu Christi » f. 45 v.  
 « Eiusd. stimulus amoris » f. 48 v.  
 « Eiusd. tractatus de quatuor gradibus spiritualis exercicii » f. 52 v.  
 « Eiusd. oratio intytulata carthusia ex collacione IX litterarum primarum » f. 54 v.  
 « Fr. DAVID (DE AUGUSTA) formula nouiciorum » f. 56.  
 (Eiusd.) « de reformatione hominis interioris », (et: De septem profectibus religiosorum) libri II f. 63.  
 « Beati Bernhardi tractatulus de honestate uite » f. 137.  
 « RYCHARDI (A SANCTO VICTORE) tractatus de quatuor gradibus uiolente caritatis » f. 138.  
 « B. Bernhardi oraciones ad quinque uulnera » f. 144 v. — « Eiusd. gratiarum actiones » f. 145.  
 Oraciones ante et post communionem dicendae f. 145 v.  
 « ALANI maxim(a)e » theologicae; inc. « *Omnis scientia nititur regulis* » f. 146.  
 « Beati AUGUSTINI liber de contemptu mundi ad clericos » f. 165.  
 « Eiusd. epistole consolatorie (duae) de uisitacione infirmorum » f. 166 v.  
 « Eiusd. de beato latrone » f. 171 v.  
 « Eiusd. de XII abusionibus seculi » f. 173 v.  
 « Beati PROSPERI sententie » f. 178.

309. Membr. in 4, saec. XIV, fol. a 100.

- Tabula codicis f. a.  
 « S. ANSELMI » Cantuariensis opera:  
 I. « Cur deus homo » f. 1. — In calce carmen rhythmicum de eodem argumento; inc. « *Rex in monte datur, grex eius ne moriatur* ».  
 II. « Monologium » f. 10.  
 III. « Proslogion » f. 18.

IV. « Liber siue disputatio cuiusdam pro insipiente qui dixit in corde suo non est deus, respondentis ad ea que aduersus eundem insipientem in precedenti libello disputata sunt » f. 21.

V. « Liber de ueritate » f. 22 v.

VI. « Liber de libertate arbitrii » f. 25 v.

VII. « Tractatus de casu diaboli » f. 28.

VIII. « Liber de incarnatione uerbi » f. 35.

IX. « Liber de processione (Spiritus Sancti) contra grecos » f. 36.

X. « Epistola de sacrificio azimi et fermentati » f. 41.

XI. « Meditatio humane redemptionis » f. 42.

XII. « Epistola de sacramentis ecclesie » f. 43.

XIII. « Liber de concordia prescientie et predestinationis, et gratie dei cum libero arbitrio » f. 43.

XIV. « Liber de similitudinibus » f. 47.

« HUGONIS DE S. VICTORE liber de arra anime » f. 60.

« Eiusd. liber de oratione » f. 63.

« BOETHII liber de Trinitate » f. 65.

(Eiusd.) « de hebdomadibus » f. 66.

(Eiusd.) « de fide christiana » f. 66 v.

« Eiusd. de duabus naturis et una persona Christi » f. 67 v.

« IOHANNIS presbyteri DAMASCENI qui MANSUR liber in quo est traditio ecclesiastica orthodoxe fidei. Capitulis diuisa. C. a burgundie (l. a Ioanne Burgundione) ciue pisano de greco in latinum dno. Eugenio tertio beati memorie translatus pape. I. quoniam incomprehensibilis est deus et quia non oportet quaerere et circumscrutari que sunt uero tradita nobis a sanctis philosophis et euangelistis » (sic in omnibus) f. 70 v.

« Hugonis (de s. Victore) de Trinitate » f. 92.

« Eiusd. de meditatione » f. 97.

« Eiusd. de incarnatione uerbi » f. 98.

(Eiusd.) « de tribus uoluntatibus in Christo » f. 98 v.

(Eiusd.) « de potestate dei et uoluntate » f. 99 v.

### 310. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 150.

« S. ANSELMII » dialogus b. Mariae virg. de passione Christi f. 1.

Sermones varii, quorum primus « de Trinitate » inc. « *Tres sunt qui testimonium dant in Celo* (etc.) *Iohannes euangelista super pectus Christi recubans* » f. 6.

Expositio Symboli; inc. « *Credo in unum deum* (etc.) *Primum quod necessarium christiano est cuilibet* » f. 29.

(ALDEBRANDINI) « *Scala fidei* »; inc. « *Funiculus triplex difficile rumpitur. Funiculus iste quo a terra trahimur in celum est fides spes et caritas* » f. 40.

Expositio Decalogi; inc. « *Modo uidete quod homines non addiscunt sapientiam nisi per flagella* » f. 77.

« *Pena animae (et) pena corporis* » (excerpta ex Bibliis et Patribus); inc. « *Labor sine requie* » f. 98 v.

Sermo de vigilantia; inc. « *Hora est iam nos de sompno surgere (etc.) In uerbis praepositis apostolus duo facit* » f. 99.

Sermones varii, nullo ordine, de festis, in Evangelia et morales; primus, « *de assumptione Mariae uirginis* », inc. « *Tercia die Hester (etc.) Commendatur autem in uerbis istis assumptio gloriose uirginis* » f. 99 v.

« *De secretis mulierum* » (HENRICO DE SAXONIA, discipulo Alberti Magni, in « *Inventario* » Pal. Vat. tributus) f. 144.

311. Membr. in f. saec. XII, fol. 204.

(S. HILDEGARDAE) « *Liber Sciuias Simplicis Homini* » in tres partes diuisus, quibus singulis praeponuntur tabulae capitulorum.

312. Membr. in 8, saec. XII, fol. 148.

« *RVTPERTI abbatis (limburgensis) expositio super Cantica Cantico- rum* »; inc. « *Qui contra Hominem Similem Sibi Luctatur* » f. 1:

« *S. AUGUSTINI liber de fide et operibus ad Petrum* » f. 77 v.

« *Eiusd. de presentia dei ad Dardanum* » f. 97.

« *Eiusd. liber de vita beata* » f. 109.

*Eiusd.* « *admonitio de laude caritatis et quomodo cunctis uirtutibus preferatur* » f. 122. — Ad calcem praefationis versiculi in opus s. Augustini; inc. « *Corporis extantes ut sunt (corr. ex sint) sic cordis et aures* ».

« *Eiusd. de christiana vita* » fine mutilus; in margine adnotatur manu A. Maii, non esse Augustini sed FASTIDI, f. 141 v.

313. Membr. in 4, saec. XIV vel XV, fol. a 122.

Fragmentum bullae provisionis canonicatus in ecclesia Wissegradiensi f. a.

« *Mag. RICARDI DE SANCTO VICTORE* »:

« *Liber intitulatus de XII patriarchis qui alio nomine dicitur minor Benjamin et alio nomine liber de minori contemplatione* », praemissa tabula, f. 1.

« *De archa mistica siue de maiori contemplatione* » libri V, cum tabula, f. 22.

« *Liber de statu interioris hominis* », praevia tabula, f. 68.

« *De exterminacione mali et promocione boni* », praeeunte tabula, f. 82.

- « De potestate ligandi atque soluendi » f. 96.
- « De spiritu blasphemie » f. 101.
- « Super Ysaïam exponens: ad me clamat » (etc.); inc. « *Ad me* (etc.)
- Si queritur querite* » f. 103.
- « Tractatus de peccato mortali et ueniali » f. 108 v.
- « De tribus processionibus » f. 109.

314. Chart. in 4, saec. XV, fol. a 275.

- Tabula codicis f. a.
- « RICHARDI DE S. VICTORE de Trinitate libri sex » f. 1.
- « ANSHELMII cur deus homo dictus libri duo » f. 38.
- « DIDIMI de spiritu sancto », cum praefatione s. Hieronymi, f. 60.
- S. IOANNIS « CRISOSTOMI omelie Triginta »; prima inc. « *Deus generis nostri qui non desepxit creaturam suam* » f. 77.
- « Beati IERONIMI sermo de assumptione uirginis gloriose » f. 109 v.
- « Sancti AUGUSTINI episcopi sermo de assumptione beate Marie uirginis » f. 118.
- « Beati GREGORII pape registrum siue epistolare », i. e. delectus epistolarum 187 excerptus ex Regesto s. Gregorii Magni, f. 121 v. — « Capitula libri Registri Gregorii » quaerenda f. 183, post opus s. Augustini. Epistolis sunt adscripti numeri: I-XXIV, CCXCII-III, CCXCV, CCXCVII, CCLIII-V, CCLVII-VIII, CCLVI, CCLIX, etc. nullo ordine.
- « Beati Augustini liber de conflictu uiciorum et uirtutum » f. 177 v.
- « IOHANNIS pbr. DAMASCENI liber in quo est traditio circa orthodoxe fidei. capitulis diuisa centum. a Burgundione iudice pisano de greco in latinum translata. et domino pape eugenio beate memorie delatus fuit » f. 187 v.
- « Beati Augustini liber de anima et spiritu », scr. a. 1439, f. 236 v.
- « Anselmi cantuariensis archiepiscopi de concordia prescientiae predestinationis ac gratiae dei cum libero arbitrio » f. 243 v.
- « Eiusd. de sacrificio azimi et fermentati » f. 254.
- (Eiusd.) epistola « ad Wollelmum unnegrensem (sic, l. newemburgensem) episcopum de uarietate rituum misse siue ad eius querelas responsio » f. 256.
- « Eiusd. de meditatione redemptionis humane », scr. a. 1439, f. 257.
- « Ad monachum professum exhortacio »; inc. « *Ingressus es karissime professus* » f. 259 v.
- « Anselmi liber de processu Spiritus Sancti » f. 261.

315. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 96.

- « Speculum ecclesiae » (seu tractatus de sacramento Eucharistiae et sacrificio missae); inc. « *Comedite amici mei et bibite et inebriamini* » f. 1.

Excerptum ex meditationibus s. Augustini f. 28.

« Sequitur Prosologion (sic) — Item sequitur de misericordia dei »  
(excerpta ex s. Anselmi Cantuariensis Proslogio) f. 29.

(Mag. RICHARDI DE S. VICTORE de contemplatione maiori) partes V,  
quibus singulis praemittitur tabula, f. 30.

316. Chart. in 4, saec. XV, fol. a 180.

Brevis tabula codicis f. a.

« HUGONIS (DE S. VICTORE) de arra anime siue sponse » f. 1.

« S. AUGUSTINI episcopi liber de quatuor uirtutibus caritatis » f. 9.

« Beati IOHANNIS CRISOSTOMI sermo »; inc. « *Stabat Moyses in monte* »  
f. 11 v.

« Hugonis » (DE S. VICTORE) de institutione nouitiorum, cum indice  
ordine alphabetico, f. 14.

« Liber qui intyulatur summa aurea vel flores patrum »; inc.  
« *Quoniam peccantibus post baptismum mortaliter* » f. 76.

« Crisostomi omelie de laude Pauli »; inc. « *Domino sancto* » f. 126.

« Eiusd. de compunctione cordis »; inc. « *Cum te intueor* » f. 150.

« Eiusd. de conuersione uite »; inc. « *Omnes homines* » f. 166 v.

« Eiusd. de occursione martirum et de precacionibus » f. 168 v.

Excerpta ex Ambrosio, Chrysostomo, Gregorio, Hiero-  
nymo de lacrimis paenitentiae f. 180 v.

317. Membr. in 4, saec. XIV, fol. a 230.

Tabula codicis, manu saec. XV, f. a.

« HUGONIS (DE S. VICTORE) de Archa Noe » f. 1.

« Eiusd. de claustro anime », praemissa tabula capitulorum, f. 35.

« S. AUGUSTINI liber ad Orosium de priscilianis (sic) », cum prologo  
ex Retractationibus, f. 83.

« Eiusd. ad Renatum » et « ad Petrum » de anima, libri duo, cum  
prologo ex Retr. f. 85.

« ARISTOTELIS nicomachia (id est « ethicorum ») prima pars » f. 97. —  
« Translata et expleta est translacio ex arabo in latinum Anno incarna-  
cionis uerbi. Millesimo. CC°. XL°. III°. Octauo die Aprilis »; subiecta est  
tabula ord. alphabetico.

« BEDAE de naturis rerum » f. 111.

De planetis et « de signis » zodiaci; inc. « *Saturnus qui superior est  
omnibus planetis* » f. 114 v.

« Liber distinctionum metaphysicalium »; inc. « *Uno modo quod non  
habet partes actuales nec essentiales nec uirtuales nec quantitatuas* »  
f. 115.

AVICENNAE « Tractatus de tempore »; inc. « *In quo enim non est mutabilitas ei nihil preterit nihil futurum est* » f. 130. — In calce huius tractatus: « *Explicit de philosophico auditu Avicenne* ».

« AMBROSII exameron (sic) », i. e. de opera sex dierum, f. 131.

S. « Augustini »:

« De uera et falsa penitentia » f. 171.

« Sermo de Iacob et Esau », fine mutilus, f. 176 v.

Sermo de contemptu bonorum mundi, initio carens, f. 181.

« Liber de sermone domini in monte » f. 181 v.

« De cognitione uitae » f. 182.

« Sermo de bono latrone » f. 185 v.

« Contra Adimantum Ma(ni)chei discipulum », cum prologo ex Re-tractationibus, f. 187. — Praemittuntur f. 186 v. e s. Gregorii magni regula pastorali excerpta.

« Ad Felicianum » f. 194.

Fragmentum tractatus: « in quo uirtus sit nihil ei deesse ad beate uiuendum » f. 199; explicit « *pauperes existimandi sunt* ».

« Ad Brutum de oratore »: inc. « *Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus* » f. 200 v.

« AMBROSII de officiis » f. 201.

Excerpta ex Hieronymo in Ezechielem prophetam f. 221.

« S. Augustini de cura pro mortuis gerenda ad Paulinum episc. », manu saec. XV, f. 224.

318. Membr. in 4, saec. XII, fol. 212.

« HUGONIS (DE S. VICTORE) liber de sacramentis », praemissa tabula.

319. Chart. in 4, scriptus anno 1454, fol. 268.

« HUGONIS DE S. VICTORE liber de sacramentis ab inicio usque ad finem in unam seriem dispositis »; praeit tabula, f. 1.

« Beati IOHANNIS CRISOSTOMI liber septem omeliarum in laudem sancti Pauli apostoli » f. 211.

« BOECHI de duabus naturis in una persona Christi »; imperfectus, f. 235.

320. Membr. in 12, saec. XIV, fol. 83.

(De contemplando et diligendo deo), tractatus in cod. inscriptus: « Liber V quodlib. », (manus saec. XVI HVGONI tribuit); inc. « *Altitudinem sapientie* » f. 1.

De acceptatione munerum; inc. « *Hic dicendum est de acceptatione munerum et primo ostendemus quam periculosa sit* » f. 31 v.; finem quaere f. 66.



De cognitione Dei, tractatus initio mutilus, f. 37; explicit « *anima prius sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur.* ».

De fide; inc. « *Circa hanc uero questionem quid sit fides que duo connectit in se ad presens insistendum est* » f. 53.

Brevia capita de differentia inter aves et bestias, de Abrahamo, de superbia et luxuria, de Aristotele, de Alexandro magno, de malis monachis, de gestu, f. 67.

« Hugonis liber de tribus », (i. e. de tribus invisibilibus Dei a quibus emanant omnia, quae sunt potentia, sapientia et benignitas), f. 68.

321. Membr. in f. saec. XIV, fol. *a-d* 284.

Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV. Praeunt, f. *a-d*, glossae in prologum, manu saec. XV.

(« Exécutoire d'un jugement par défaut rendu par la chambre des Requêteurs du Parlement de Paris, le Février 1388, contre Jean Langlois l'aisne sergent de Laigny, en faveur du couvent de N. Dame de Chaalis, à propos de certains biens détenus injustement par ledit Langlois »), manu saec. XIV exeuntis; titulus uncis inclusus ex contextu desumptus; f. ultimo nullo numero signato.

322. Membr. in f. saec. XIV vel XV, fol. 280, picturis illustratus.

« Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV.

323. Membr. in 4, saec. XIII, fol. *a* 192, pict. ill.

Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV; praeeunt, f. *a*, excerptum ex Hilario quod inc. « *In patre eternitas* », sententiae et glossae in prologum.

(Quaestiones de peccatis), litteris aevo fere consumptis, f. 192 v.

Fine codicis folium nullo signatum numero, manu saec. XIV vel XV, formae minimae, exhibens fragmentum tractatus ascetici.

324. Membr. in 8, scriptus anno 1284, fol. *a* 188.

Tabulae inscriptae: « Opera Augustini allegata a magistro sententiarum »: — « Articuli condemnati in libro sententiarum », manu saec. XV, f. *a*.

Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV f. 1.

Adnotationes de pecuniis, pannis, candelis etc. mutuo receptis et reditis a « dompno Benedicto », Florentiae a. 1339, f. 188 v.

325. Membr. in 8, saec. XIII et XIV, fol. 152.

Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV, manu saec. XIII; initio deest prologus, ultimus liber imperfectus.

Innocentii IV, Alexandri IV, Gregorii IX, Urbani IV, Nicolai III, Clementis IV epistolae decretales, manu saec. XIV; fine carent, f. 127 et 143. — Foliis 135-142 insertum est fragmentum alterius cod. exhibens quaestiones iuris canonici.

326. Chart. in 4, saec. XV, fol. 256.

Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV.

327. Chart. in 4, saec. XV, fol. 368.

Mag. PETRI LOMBARDI tertius et quartus liber Sententiarum f. 1; sequitur, f. 132, index.

« Beati BERNARDI abbatis formula honeste uite ad fratrem suum Gerardum » f. 135.

« Alia formula honeste ac spiritualis uite »; inc. « *Dileccionem tuam attentius deprecor* » f. 136 v.

« Fratris PETRI abbas (sic) CLUNIACENSIS ad quemdam clusum » f. 140.

« Passus de uirtute bonorum religiosorum »; inc. « *Si uis in spiritu proficere* » f. 142 v.

« Beati YSIDORI flores »; inc. « *Dilecte fili dilige lacrimas noli differre cas* » f. 148.

« S. Bernardi Meditationes » f. 175.

« VELICHINI spoletani historia Allexandri regis » metrica (imperfecta) f. 187. — Idem opus integrum f. 189. — In calce « prohemium (id est epitaphium) super sepulcrum Allexandri » f. 221.

« Beati EUSEBII epistola ad Damasum portuensem episcopum et ad Theodonium (sic) Senatorem romanum de morte gloriosi Ieronimi » f. 222.

« S. AUGUSTINI epistola ad beatum Cirillum secundum Ierosoli(mi)tanum episcopum de magnificentia eximii doctoris beati Ieronimi ad miraculum infrascriptum » f. 243.

« S. CIRILLI Ierosolimitani episcopi epistola ad beatum Augustinum de miraculis beati Ieronimi » f. 247.

« S. Siluani gesta cum hereticis » (id est s. Hieronymi miracula, quorum primum de s. Silvano episcopo a decollatione liberato) f. 251.

(De liberalibus adolescentiae studiis ac moribus) « ad V. »; inc. « *Franciscus auus tuus cuius ut extant plurime res magnifice geste ita et multa passim sapienter de eo decreta memorantur* » f. 267 v.

(Ad praesulem quemdam eius laudatio); inc. « *Inter eos qui se aut numquam uiderunt aspectu aut* » etc. f. 281.

(Eiusd. auctoris?) de laudibus Pasquini (de Cappellis); inc. « *Tu qui domi administrator rei familiaris preceptoris mei Pasquini uiri omnium familiarissimi fuisti* » f. 282 v.

(Eiusd.?) de tranquillitate animi ad Franciscum; inc. « *De tranquillitate animi mei dulcissime frater tibi ita possum disserere ceu homo paruo contentus* » f. 284.

(Eiusd.) epistolae ad Franciscum; inc. « *Tua presencia ornatissime frater mecum semper est* » f. 284 v. — Ultimae adscripta est temporis nota: « *finitum in die lucie virginis anno 1442 hora 3<sup>a</sup>* ».

« Sermo mortui » (i. e. laudatio funebris Bartholomaei Patavini); inc. « *Sepe numero patres amplissimi cogitavi mecum quanta esse debeat gravitas orationis* » f. 289 v. — « Sequitur sermo » (epistolaris); inc. « *Feruet animus te uidendi amice care* » f. 291 v.

« SENECAE de moribus » f. 293 v.

« Eiusd. de remediis » f. 294 v.

Eiusd. « de clementia » f. 296 v.

Lentuli (cod. Leretulli) praesidis in partibus Iudaeae epistola ad senatores Romae de homine magnae virtutis nomine Christus f. 299 v.

De vita et moribus philosophorum veterum; inc. « *De uita et moribus philosophorum ueterum tractaturus multa que ab antiquis auctoribus* » etc. scr. a. 1448, f. 300.

Orationes epistolares duae; prima inc. « *Scriptisti michi quo letius de te nichil audire potueram* » f. 322 v.; altera inc. « *Postea quum mihi renunciatum est de obitu Tullie filie tue* » f. 324.

« Vita s. Macharii »; inc. « *Gloria et magnificencia Deo soli* » f. 324 v. — Miracula et visiones Macarii abbatis et aliorum; inc. « *Hiis temporibus miraculum mirabile et antiquorum simile Britanie (sic) factum est* » f. 330 v.

« KATHELANI » de doctrina sive arte loquendi; inc. « *Cum uerbum sit medium et instrumentum per quod loquentes et audientes in unum finem conueniunt* » f. 343.

« GAMFRIDI DE TRANO » tractatus in decretales; imperfectus, f. 344 v.

« S. IOH. GRISOSTOMI » (sic) sermo; inc. « *Age maxime hodie preedencium dierum solercius ad sermonem et doctrinam ingrediamur* » f. 363.

### 328. Membr. in 8, saec. XII-XIII, fol. a 84.

Folium a fragmentum, saec. IX vel X, e codice canonum conciliorum, facile Galliarum, in compactione codicis adhibitum. Canon X<sup>us</sup> inscribitur: « *De decimis dandis et in quattuor portiones diuidendis* ».

Excerpta ex Sententiis, libris IV digesta, manu saec. XII (titulus antiquus abrasus); inc. « *Sicut desidiosi et pigri nimium lectoris est obscura et magnis sententiis grauida nolle exponere* » f. 1. — Alia excerpta, manu saec. XII vel XIII; inc. « *Tribus modis res subsistere habent* » f. 69. — Item excerpta alia, fine mutila, manu saec. XIII; inc. « *Quare data sit circumcisio* » f. 77. — Inserta sunt f. 68 v. « *Signa mortifera* ».

329. Chart. in 8, saec. XV, fol. 249.

« HERMANNI HETZSTEDE quaestiones super (primum et) secundum librum Sententiarum (P. Lombardi) » f. 1.

« BUCKINKAM lectura » in tertium lib. Sententiarum f. 75 v. — Sequuntur index ord. alph. et « tituli huius libri ».

« Quaestiones in tertium lib. Sententiarum; inc. « Venio iam ad 2 principale praesentis actus » f. 147 v. — Item quaestiones in idem argumentum; inc. « Quaeritur circa distinctionem quintam » f. 159.

330. Chart. in 8, saec. XV, fol. 310.

« CONRARDI DE SOLTVO lectura » in quatuor libros Sententiarum (P. Lombardi), « completa in studio heidelbergensi Anno dni. M. CCC. 88 », scr. a. 1400, f. 1. — Sequuntur argumenta Sententiarum f. 160 v.

« HERMANI (sic) GALIGAEN. can. eccl. monasteriensis collectorium libri qui dicitur rationale diuinorum editi a dno. Guilhelmo Durandi minatens. ecclesie episcopo dictum de officiis », scr. a. 1400, f. 161 v.

Quaestiones scholasticae; inc. « Dicitur quod frui non est magis quam uniri deo » f. 298.

« Somnium quod composuit sanctus Ioseph dum captus fuit a rege Pharaone » f. 303 v.

« De electione imperatorum » (i. e. chronicon imperatorum et deinde pontificum, insertis aliis historicis adnotationibus); inc. « Anno domini dccc lxxxiiij tempore octonis tercii »; praeterea brevis adnotatio inc. « Nacnutas hali anno xpi. fuit currente 988 » f. 304. — Sequuntur: computus de aetatibus mundi, lingua germanica: — Excerpta e s. Gregorio de sex modis quibus « tangunt homines ymagines sompniorum » et « quod morientes aliquando multa predicunt » f. 310: — Breve chronicon rerum germanicarum et gallicarum; inc. « Item de tempore formationis Ade usque ad aduentum Christi anni fuere » etc. f. 310 v.

331. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 96.

« Fratris ROMANI (de Roma) de ordine praedicatorum opus super (libr.) Sententiarum » (P. Lombardi).

332. Chart. in f. saec. XV, fol. 200.

« Distinctiones secundi et tercii (i. e. libri) Sententiarum » (P. Lombardi); inc. « Circa secundum librum sententiarum queritur primo ».

333. Membr. in 4, saec. XIII vel XIV, fol. 136.

Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV. Singulis praemissa est tabula. In marginibus glossae varia manu.

334. Chart. in 4, scriptus a. 1471, fol. 136.  
Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum liber quartus, praeuia tabula.
335. Membr. in f. saec. XIV, fol. 261.  
Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV; glossae aliquot in marginibus.
336. Chart. in 4, scriptus anno 1441, fol. 359.  
Mag. PETRI LOMBARDI Sententiarum libri IV cum adnotationibus (Ioannis de Wessalia). Folium primum lacerum.  
Adnotatio brevis de lapide magno qui « e nubibus . . . (cecidit) », anno 1413, f. ultimo nullo signato numero.
337. Chart. in 4, saec. XV, fol. 195.  
(IOANNIS DE WESSALIA) commentarius in quatuor libros Sententiarum (Petri Lombardi).
338. Chart. in 4, saec XV, fol. a 256.  
Adnotatiuncula de Pauli verbis: Christi odor bonus sumus f. a.  
Adnotationes breves de peccato f. a v.  
(HENRICI DE HASSIA) expositio in orationem dominicam f. 1.  
(Eiusd.) de confessione f. 3.  
« Eiusd. breue directorium pro audiendis confessionibus rudium personarum que in anno semel uel rarius confitentur » f. 15.  
« Eiusd. tractatus ad sacerdotum erudicionem compilatus » f. 18.  
« IORDANI sacre theologie doctoris opusculum de passione domini nostri Ihesu Xpi. » f. 26 v.  
« S. THOMAE DE AQUINO de uita Christi », scr. a. 1417, f. 60.  
« Miracula et fructus sacramenti (Eucharistiae) nec non pericula circa hoc sacramentum contingentia, ex aliquibus dictis et ex dictis s. Thomae de Aquino », scr. a. 1417, f. 95.  
Sermones de resurrectione domini et de adventu Spiritus Sancti, a Pascha ad Pentecostem; inc. « *Nunc . . . aromatibus redolentibus cum sponsa et adolescentulis qui currunt post eam conspergimus librum* » f. 102.  
De praedestinatione et libero arbitrio; inc. « *Tres nodi nimis perplexi nexu invicem implicant* » f. 140.  
« Cognicio vite » (aeternae); inc. « *Sapientia dei qui os muti aperuit* » f. 147 v.  
De beata Maria Virgine; inc. « *Beata uirgo comparatur celo* » f. 158.  
« Registrum super tractatum magistri Heinrici de Hassia de con-

fessione », — « Registrum super opusculum domini Iordani de passione domini » f. 170. — « Registrum super sanctum Thomam de vita Xpi. » f. 171 v.

« Magistri CONRADI DE SOLTATO (I. SOLTOW) sacre theologie doctoris lectura capituli (Sententiarum): firmiter credimus, de summa trinitate et fide catholica, completa in studio heydelberg. anno domini M. trecentesimo octuagesimo octauo », cum tabula in calce, f. 175. — Praeit capitulum cum brevi glossa f. 173.

Adnotatio « quod sex sunt gradus quibus ascenditur ad tronum ueri Salomonis » f. 256.

339. Chart. in 4, saec. XV, fol. 154.

« Dni. WILLELMI episcopi parisiensis tractatus de fide et legibus », scr. a. 1449, f. 1.

« Eiusd. auctoritates diuerse diuersorum tractatum respicientes de fide et legibus » f. 146 v.

340. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 102.

MONACI quaestionum in libros Sententiarum (P. Lombardi) liber primus, praemissa tabula (nomen auctoris in codice scriptum manu recenti).

341. Chart. in 4, saec. XV, fol. 230.

(S. BONAVENTURAE) « compendium theologicae ueritatis » in septem libros dispositum, scr. anno 1425; inc. « *Veritatis theologicae sublimitas* » f. 4 v. Praeit, f. 3, tabula capitulorum. — F. 2 v. adnotatur, alia manu saec. XV: « *Compendium theologicae ueritatis composuit magister sententiarum ut opinor* (etc.) ».

« Magistri THOME subdecani de Cabaam summa de penitentia », scr. anno 1425, praemissa tabula capitulorum, f. 79 v.

Fragmentum libri « de uita mala resecanda » insertum f. 76-78.

De anno nativitatis I. Christi et descriptione totius orbis quam edixit Caesar Augustus; inc. « *(N)atiuitas D. N. Ihesu Xpi. secundum carnem ut quidam aiunt fuit completis ab Adam V milibus ducentis uiginti octo annis uel* (etc.) » f. 152 bis v.

Index rerum et tractatum de quibus supra f. 4 v. et 79 v. f. 152 bis v.

« Fr. IACOBI DE VORAGINE quadragesimale », scr. anno 1426, f. 157.

342. Membr. in 12, saec. XIV vel XV, fol. 350.

(S. BONAVENTURAE) « compendium theologicae ueritatis », libri VII, quos singulos sequitur tabula capitulorum; inc. « *Veritatis theologicae sublimitas* » f. 1.

« Excerptum de pharetra », libri IV, quibus singulis praemittitur tabula. Sunt excerpta e patribus, praesertim Ambrosio, Anselmo, Augustino, Bernardo, Cypriano, Gregorio Magno, Hieronymo, Ioanne Chrysostomo, Isidoro, Rhabano; inc. « *A conversionis mee primordio cum ob mentis recreationem auctoritates sanctorum patrum legerem* » f. 107.

« Dicta philosophorum » (appendix operis praecedentis); inc. « *Alfarabius - non debemus mortem timere sed cogitare* » f. 166.

Sermones in festis sanctorum et de tempore; inc. « *In uigilia s. Andreae apostoli. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum (etc.) Ecc. XLV. Notandum quod licet hoc uerbum de Moyse dictum sit tamen (etc.)* » f. 167.

Tractatus de oratione dominica; inc. « *Videtur quod inconuenienter septem petitiones orationis dominice assignentur* » f. 251.

Brevis summa theologica in septem partes diuisa; inc. « *In principio intelligendum est quod sacra doctrina uidelicet theologica* » f. 255.

« Fratris B(ONAVENTURAE) summa », libri IV, quibus singulis praemissa est tabula, f. 263 v.

« Modus instruendi nouiter uenientes ad confessionem »; inc. « *Primo superbia et eius rami* » f. 330 v.

Definitiones variae ordine alphabetico; inc. « *Amor est appetitus rei per se* » f. 332.

« Formula (seu) summa confessionis »; inc. « *In nomine dni. Iesu Christi incipiunt interrogationes (etc.)* » f. 342.

« Nota de diversitate excommunicationis »; inc. « *Due sunt species excommunicationis* » f. 350 v.

343. Membr. in 12, saec. XIV vel XV, fol. 144.

(S. BONAVENTURAE) compendium theologiae ueritatis; inc. « *Veritatis theologiae sublimitas* ». Praeit tabula.

344. Membr. in 12, saec. XIV vel XV, fol. a 288, picturis illustratus.

Versus rhythmici de quatuor doctoribus ecclesiae latinae; inc. « *Gregorius uir facundus || Verbo dulcis uita mundus* » f. a.

(S. BONAVENTURAE) compendium theologiae ueritatis; inc. « *Veritatis theologiae sublimitas* » f. 2. Sequitur tabula.

345. Chart. in 4, saec. XIV vel XV, fol. 301, in duas partes diuisus.

Pars prima f. 1-153, altera 154 ad finem.

(S. BONAVENTURAE) « summa theologiae ueritatis »; inc. « *Veritatis theologiae (sic) sublimitas* » f. 1.

- « *Innale d. . .* » (titulus mutilus), i. e. de modo canendi septem psalmos; inc. « *Septies in die laudes dixi (etc.) Quamuis autem deus* » f. 120.  
 (S. BONAVENTURAE) « *Speculum clarum et pretiosum ipsorum sacerdotum* » f. 123.  
 « *De fide catholica* »; inc. « *Qui credit in me non morietur in eternum. Io. Cum enim mors sit finis terribilium (etc.)* » f. 130.  
 « *Fr. B(ERNARDI) DE PARENTINIS ord. predicatorum tractatus super totum officium misse* » f. 142.  
 « *Versus de Spiritu Sancto* »; inc. « *Tu spiras ubi uis, tua munera dividis ut uis* » f. 227.  
 « *Versus de domina nostra* »; inc. « *Si fieri posset quod arene puluis et unde* » f. 227.  
 « *Indulgentie XX<sup>ti</sup> ecclesiarum Rome* »; inc. « *Beatus Silvester pp.* » f. 227 v.  
 « *ALBUINI (sic) de Antichristo, de Enoch et Elya (ad) Herberthum Coloniensem ep.* » f. 229.  
 (Conradi Soltow) expositio tituli de s. Trinitate et fide catholica: *Firmiter credimus* f. 231.

346. Membr. in 8, saec. XV, fol. 93.

- (S. BONAVENTURAE) « *compendium theologicæ veritatis* »; inc. « *Veritatis theologicæ (sic) sublimitas* », sequitur tabula, f. 1.  
 « *Decem plage Egypti propter X precepta* »; inc. « *Prima rubens unda, quod in deum non crediderunt* » f. 93 v.

347. Membr. in 8, saec. XV, fol. 128.

- « *IOANNIS summa theologicæ ueritatis* »; inc. « *Veritatis theologicæ sublimitas* ». Idem opus quod in codd. 341-346; deest prologus.

348. Membr. in 12, saec. XIII-XIV, fol. 64.

- De virtutibus et vitiis*; inc. « *De caritate. — Maiorem caritatem nemo habet (etc.) Petrus apostolus. Ante omnia autem mutuum in uobis metipsis caritatem* », praemissa tabula capitulorum, f. 1.

Sermones XLI de tempore et de sanctis. Excisis aliquot foliis, desunt priores XIII; inc. « *XIV. Sermo de adue(n)tu domini rarus. — De celo misit Iupiter pomum aureum (etc.) Fratres scitis quod omnia que scripta sunt* », praemissa (f. 26 v.) tabula integram seriem sermonum exhibente, f. 27. — Sermo XXXIII (f. 35 v.) inscriptus: « *Dicta sanctorum* », praebet excerpta ex Patribus. Nomina adscripta: Richardus, Augustinus, Bernardus, Gregorius, Hieronymus, Paulus apostolus. Folio 36 inserta sunt nomina prophetarum maiorum et minorum; et f. 36 v.



inest admonitio: « *Qui domino fideliter iurant, ista VI in memoria semper habere debent (etc.)* ».

De ascensione animae ad Deum, manu saec. XIV, fine mutilus; inc. « *Ascendam in arborem palme et apprehendam fructum eius. Palma enim angusta est inferius* » f. 44.

Miscellanea theologica et ascetica, initio et fine mutila, de beata Virgine, de s. Petro, de s. Cruce, de incarnatione et de triplici timore; item excerpta ex Gregorio magno, Hieronymo et Isidoro f. 46.

Sermones de tempore adventus; inc. « *Cum descendisset Ihs. de monte* » (prima pagina litteris aevi iniuria valde consumptis) f. 58.

349. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 113.

« *Fratris ALBERTI (MAGNI) de ordine predicatorum episcopi quondam Ratisponensis tractatus de misterio misse* » f. 1.

« *Eiusd. summa de corpore domini* » f. 42.

« *Eiusd. oratio de corpore domini* » f. 103v.

350. Chart. in 4, saec. XV, fol. 209.

« *Domini fratris ALBERTI MAGNI quondam Episcopi Ratisponensis opus de misterio misse* » f. 1.

« *CHONRADI SALCW, secundum alios SALCAU, scriptum super capitulo Firmiter credimus etc.* » f. 114. Sequitur tabula.

351. Chart. in 12, saec. XV, fol. 76.

« *Fratris ALBERTI MAGNI (de Laugingen) quondam Ratisponensis episcopi Letania De tempore. In qua per viam illuminatiuam purgatiua prehabita ascendit ad unitiuam* », sive « *Moralitates ac mistificationes euangeliorum dominicalium* ».

352. Chart. in 4, saec. XV, fol. 345.

« *Fratris THOME (DE AQUINO) primus de summa* », i. e. *Summae theologicae prima pars*. — Sequitur, f. 339v. tabula inscripta: « *Problemata questionum et articulorum prime partis* ». — Codex eadem manu exaratus qua seqq. 353 et 355.

353. Chart. in 4, saec. XV, fol. 330.

« *Fratris THOME DE AQUINO 2<sup>a</sup> pars summe de theologia* », i. e. *Summae theologicae prima secundae*. — In calce, f. 325v. tabula inscripta: « *Capitula prime partis 2<sup>i</sup> libri summe* ».

354. Chart. in 4, saec. XV, fol. 559.  
 S. THOMAE AQUINATIS Summae theologiae secunda secundae. — Sequuntur, f. 546, « Registrum super secundum secunde », et f. 555 v. « Tabula secundum ordinem alphabeti super eandem partem ».
355. Chart. in 4, saec. XV, fol. 484.  
 « Fratris THOME (AQUINATIS) liber secundus secunde partis summe ». — Sequuntur, f. 472, « Ordo et signacio questionum secundi libri secunde partis », et f. 480 index rerum ordine alphabetico.
356. Chart. et membr. in 4, scriptus anno 1416, fol. 318.  
 « Fratris THOME DE AQUINO quartus liber de fide catholica contra gentiles », i. e. Summa contra gentes. Praeit tabula.  
 Formula medicinalis « contra pestilentiam ad prouocationem sudoris » f. 318 et 318 v.
357. Membr. in f. saec. XIV, fol. 169, picturis illustratus.  
 « Fr. THOME DE AQUINO postille super Iohannem »; praeit tabula.
358. Chart. in 4, saec. XV, fol. 328.  
 « S. THOME (AQUINATIS) tertia pars summe » (theologiae).
359. Membr. in 4, saec. XV, fol. 115.  
 (S. THOMAE AQUINATIS) « compendium theologie », i. e. theologiae veritatis. Libri VII, quibus singulis praemissa est tabula.
360. Membr. in f. saec. XV, fol. 234, pict. ill.  
 (S. THOMAE AQUINATIS summae theologiae tertia pars). — Sequitur f. 230 v. tabula.
361. Chart. in f. saec. XV, fol. 366, picturis illustratus.  
 S. THOMAE AQUINATIS expositio in quartum librum sententiarum. Praeit « Registrum ».
362. Chart. in 4, saec. XV, fol. 172.  
 « S. THOME DE AQUINO tractatus de articulis fidei et ecclesie sacramentis » f. 1.  
 « S. patris AUGUSTINI episcopi regula » f. 6.

Excerptum ex S. Augustino f. 8.

« Magistri NYCOLAI MAGNI DE LAWOR questio de usura Heydelbergae habita » (titulus tantum, idemque deletus) f. 8 v.

« In festo b. Luce euangeliste pro lectionis (sic) in officio matutinali »; inc. « *Lucas iuxta tradicionem ueteris ecclesie* » f. 8 v.

« IOHANNIS Crisostomi in omelia super principium Mathei. — In festo b. Mathei apostoli et euangeliste »; inc. « *Matheus sanctorum quidem* » f. 9.

Tractatus de passione domini; inc. « *Cristo ergo in carne passo (etc.) Dilectissime sicut vides quod naturaliter non in aqua, non in aere, non in igne* » f. 11.

« Ex itinerario discipuli vel vade mecum eiusdem quod idem est », i. e. de passione domini; inc. « *Nota quod circa passionem Xpi. quinque ponuntur in euangelio* » f. 27 v.

« AUGUSTINI de passione domini »; inc. « *Attende et intellige anima mea tempus beatissime passionis* » f. 29.

« Nota ex vita Christi »; inc. « *Si nos omnia que christus passus est uellemus enarrare* » f. 30 v.

Lectiones in festiuitatibus app. Petri et Pauli, ex Isidoro, Lino pp., Ambrosio et Augustino: s. Gregorii Magni, ex Ioanne Diacono: s. Ambrosii, ex Paulino nolano: s. Augustini, ex Possidio, f. 32 v.

Initium tractatus eiusdem, qui infra folio 35 v., f. 35.

« Nota dignitatem sacerdotis; verba beati Augustini », rhythmus; inc. « *Sacerdotes nunc audite dignitatem uestre uite || Qualis sit uel quanta non est data tanta* » f. 35.

« GILBERTI episcopi pictauiensis contra desperationem » (excerptum) f. 35.

De sanctis, utrum ante diem nouissimum sint in caelo, et utrum eorum gesta fidelibus sint promulganda; et de decreto Gelasii pp. de libris in ecclesia legendis; inc. « *Est error de sanctis unus quod mortui in Christo ut sunt sancti ante diem nouissimum non sint in celo* » f. 35 v.

« NYCOLAI DE WACHENHEYM de sanctissima Maria Magdalena patrona huius nostre domus in maiori Franckentall, questio magistralis in Heydelberg habita » f. 38.

« Magistri IODOCI EYCHEMAN de Calwa, in sacra pagina licentiati, ad uniuersitatem heydelbergensem collatio de s. Katherina uirgine et martire patrona facultatis arcium, anno domini 1479 » f. 40.

« Eiusd. collatio de obitu uenerabilis quondam uiri Iohannis Wildenhertze, utriusque iuris doctoris eximii ac studii heydelbergensis iuris canonici lectoris ordinarii predigni, anno domini 1460 » f. 44.

Excerpta ex epistolis s. Bernardi f. 45 v.

« Augustinus in libro de decem cordis » (excerptum) f. 46.

« Erudicio b. Augustini de perfeccione hominis » (excerptum) f. 46 v.

De miraculis narratis in homiliis s. Gregorii Magni; inc. « *Quia plerumque exempla corda audiencium plus excitant quam doctrina, ideo notanda sunt XII miracula contenta in omeliis beati gregorii pape* » f. 47.

Epilogi tractatum: « Summe Alberti de corpore Christi », De sacrificio missae; et excerpta ex Rationali divinorum (officiorum), f. 51 v.

« Collatio de corpore dominico »; inc. « *Nisi manducaueritis (etc.) Verba hec originaliter iohannis VI C<sup>o</sup> beatus Gregorius homilia XXIII (etc.)* » f. 56 v.

« De diuitibus meditatio pulchra »; inc. « *Ve uobis diuites etc. Anime rationali si vere saperet nichil saperet praeter verum bonum* » f. 57 v.

Excerpta varia ex Rationali divinorum (officiorum), Isidoro, Augustino aliisque anonymis, de rebus theologicis, moralibus et philosophicis, f. 57 v.

« De gradibus ascendendi ad patriam celestem »; inc. « *Euangelista Lucas, amorosa premiantes (sic) voce, nos in prandio nuptiarum militantis ecclesie discumbentes acclamat* » f. 59 v.

Excerpta de spiritualibus charismatibus et de vitiis; — De annis mundi, adnotatio brevis, f. 60.

Excerpta ex Henrico de Hassia et adnotationes variae theologicae, philosophicae et morales f. 60 v.

« De originali iugo laboris »; inc. « *Cum onus laboris ex transgressione prima* » f. 63. — De contractibus, « *casus conscientie* »; inc. « *Dictum est in subleuamen humane indigencie* » f. 63 v. — « *Circa contractus precaria* », i. e. quaestiones morales de contractibus; inc. « *Prima regula Empcio reddituum* » f. 64.

« De muneribus »; inc. « *Beatus uir qui excutit manus suas ab omni munere ysa. 33. Et qui omne dicit nichil excludit* » f. 65 v.

« (M.) Tul(l)ii (Ciceronis) de senectute », « de officiis » et « de amicitia », (excerpta), f. 66 v.

« Beati BERNHARDI epistola ad quemdam nobilem militem de cura et modo rei familiaris utilius gubernande » f. 68 v.

S. « Bernhardi speculum » f. 69 v.

« In festo beati Ieronymi presbyteri ex gestis eius quae multa parte collecta sunt ex dictis eius » (lectio); inc. « *Ieronimus in oppido Stridonis* » f. 70 v. — « In festo sanctissime uirginis et martiris X. (i. e. Chr.) Katherine ex gestis eius » (lectio); inc. « *Fuit in ciuitate alexandria* » f. 71.

« ENEE (SILVII PICCOLOMINEI) episc. senensis disputatio cum bohemicis hereticis de Sacramentis et apostolice sedis auctoritate », a. 1451, f. 72.

Argumenta euangeliorum Ioannis et Matthaei; inc. « *1 Verbum - 2 mutat aquas - 3 Nycodemus - 4 ydria - 5 motus* » f. 78 v.

« S. THOME DE AQUINO questiones super confessione et penitentia cum Casibus papalibus et episcopalibus » f. 79.

« Megorensis (sic) Episcopi Confessio generalis »; inc. « *Quoniam omni homini penitenti* » f. 82.

« Radix virtutum et vitiorum », i. e. stemma, versibus hexametris; inc. « *Obedientia - Pareo mandatis animo manibusque paratis* » f. 84 v.

Adnotationes de natura et personis Dei, angeli, hominis; scheda inserta f. 85.

Excerpta ex s. Augustino de rebus creatis in ordine, numero et pondere f. 85 v. — Carmen de eodem argumento; inc. « *Confitebor inquit David domino nimis in ore meo* » f. 86 v.

PII PP. II epistola « ad Burgomagistros et consulatum opidi (sic) Nurenbergensis », contra appellantes a papa ad futurum concilium generale, 17 Oct. a. 1460, f. 87. — Refutatio praecedentis epistolae; inc. « *Vis consilii expers mole ruit sua (etc.) Papa Pius iam pridem* » f. 87 v.

« Queritur utrum lex positiva certis in casibus opponatur legi poli(ticae). Et uidetur quod sic (etc.) » f. 89.

« NYCOLAI (DE CUSA), tt. s. Petri ad Vincula, apostolice sedis per Alamaniam legati », epistola ad Gotfridum episc. Herbipolensem, a. 1451, f. 89 v. — Acta publica de decimis indictis ab eodem card. legato capitulis et monasteriis Alemanniae f. 89 v.

« Formula de deuota audicione Misse per oraciones salutiferas. Et de expositione Signorum in Canone propter simplices »; inc. « *Atria domus tue sancte* » f. 91.

« HERMANNI DE WESTUALIA (I. WESTPHALIA) speculum sacerdotum de Sacramentis » f. 119.

« Tractatus de defectibus misse et Regula de celebratione misse »; inc. « *Defectus misse sunt quando requisita ad missam deficiunt* » f. 123.

Decreta synodi moguntinae celebratae a. 1451 per Nicolaum de Cusa, card. ap. sedis legatum, et Teodricum (sic) archiep. moguntinum f. 126.

« S. BASILII episcopi de Capadocia ciuitate predicacio », seu « admoniciones ad discipulum »; inc. « *Audi fili ammonicionem patris tui* » f. 151.

« HUGONIS SANCTI VICTORIS super (caput Canticorum) Ibo michi ad montem Mirre » f. 157 v.

« SYCCARDI CREMONE tractatus breuis et utilis de 4<sup>or</sup> speciebus sacramentorum que sunt preparatoria, salutaria, veneratoria et ministratoria » f. 165.

### 363. Chart. in 12, saec. XV, fol. 126; picturis illustratus.

« THOME DE AQUINO de vita Christi », scr. a. 1468, f. 1.

« INNOCENTII TERTII dialogus inter deum et peccatorem » f. 101.

« AUGUSTINI Episcopi liber de aspiracione hominis ad deum » f. 111.

364-365. Chartacei, in 4, saec. XV.

364. fol. 277. — « BONAVENTURE cardinalis liber primus siue scriptum primi Sententiarum » f. 1.

Prolusiones et disputationes theologicae; inc. « *Doctissimi patres, virique et domini solertes, progressurus ego ipse* » f. 270.

Quaestiones theologicae variae, praemisso titulo: « *Hec sanctus Thomas prima parte summe* », f. 274.

365. fol. 416. — S. BONAVENTURAE in secundum librum Sententiarum.

366. Chart. in 8, saec. XV, fol. 208.

« Beati BONAVENTURE doctoris seraphici meditationes deuote uite Iesu Cristi saluatoris nostri » f. 1. — Sequitur: « *Tabula capitulorum in presenti libro contentorum* ».

« *Gesta saluatoris domini nostri Iesu Cristi que inuenit Theodosius magnus imperator in Hierusalem in pretorio Pilati Pontii, in codicibus publicis* », (i. e. euangelium Nicodemi), f. 169.

367. Membr. in 8, saec. XV, fol. 43.

« *Fratris EGIDII DE ROMA ordinis fratrum heremitarum tractatus de prescientia et predestinatione dei* » f. 1.

« *Eiusd. tractatus de originali peccato* » f. 33 v.

368. Chart. in 4, saec. XV, fol. 354.

Tabula codicis f. 1.

« *Magistri IOHANNIS GERSON cancellarii parisiensis tripartitum* » f. 2.

« *De peccatis oris linguae (sic) aut sermonis* »; inc. « *Qui in verbo non offendit perfectus est uir* » f. 15 v.

« *Articuli discordiarum sacerdotum secularium et fratrum de ordine mendicantium in Ciuitate Argentina exorte (sic) anno d. M<sup>o</sup> cccc<sup>o</sup> lv<sup>o</sup>* », cum solutionibus eorum, f. 45 v. — Finem quaere f. 116.

S. THOMAE AQUINATIS opuscula:

« *Pater noster* », i. e. tractatus in orationem dominicam f. 50.

« *Expositio (symboli) quando predicabat in vulgari* » f. 58 v.

« *Liber de duodecim articulis fidei et sacramentis ecclesie* » f. 77.

« *Tractatus de forma absolutionis penitencie sacramentalis* » f. 89.

« *Liber contra errores grecorum* », ad preces Urbani papae quarti, f. 94.

« *Quadragesimale* »; inc. « *Tempus occidendi et tempus sanandi ecc(les)ie. iij. ad pugnam agendam requiruntur duo* » f. 118.

« *Expositio in Isaiae cap. 33: Angeli pacis amare flebunt*; inc. « *In sacra scriptura inueniuntur mult(os) fletus* » f. 214.

« Epistola turci ad summum pontificem »; inc. *Morbisauus hebei pessi* (sic) *cum fratribus suis* » f. 248. — Sequitur brevis adnotatio de eodem argumento, lingua germanica.

« IOHANNIS DE CAPISTRANO speculum clericorum », sive « Sermo ad clerum in synodo tridentina editus anno domini m<sup>o</sup> cccc<sup>o</sup> xxxix », f. 249.

« NICOLAI pape quinti bulla ad inuocandum auxilium contra hostem nominis Cristi turchionem ferocissimum », data Romae II Kal. Oct. anno septimo, f. 278 v.

De aqua benedicta, adnotatio, f. 281.

Quaestiones: Cur Petrus permissus est negare; De latrone baptizato in suo sanguine; Quod septem modis in Spiritum Sanctum peccatur, f. 281 v.

« CALISTI pape bulla contra Torchos (sic) », data Romae Id. Maii a. primo, f. 282.

IOHANNIS DE HUNIGAD, comitis perpetui Wistervensis, epistola ad dom. Franciscum Schluk, canonicum ratisponensem, de bello contra Turcas a. 1456, f. 283.

IOHANNIS card. s. Angeli, ap. sedis legati, epistola ad dom. Ladislaum de Gara regum Galliae palatinum de indulgentiis concessis iis qui crucem receperint « ad bellum contra Torchos (sic) »; a. 1456, f. 283.

Adnotationes de bello contra Turcas a. 1456, lingua partim latina, partim germanica, f. 283 v.

« HUMBERTI (sic; in tabula f. 1: « GILBERTI » DE TORNACO) de universo statu totius mundi », praevia tabula capitulorum, f. 284.

« Determinatio doctorum de pena prohibentis confessiones religiosi fiendas »; inc. « *Queritur utrum curati prohibentes confessionem fieri fratribus ad hoc privilegiatis* » f. 354 v.

### 369. Chart. in 4, saec. XV, fol. 312.

« Quodlibeta » XII; inc. « *Quesitum est de deo angelo et homine* » f. 1. — Sequitur index, ordine alphabetico.

« IOHANNIS DE CAPISTRANO tractatus de cupiditate » f. 130.

« BERNHARDINI DE SENIS tractatus de septem donis Spiritus Sancti » f. 194 v.

« Determinacio de conceptione gloriose virginis Marie sacri generalis concilii Basiliensis » f. 237.

« Prelocuciones pu(l)chre et compendiose extracte super omnes dominicas per anni circulum »; inc. « *Dominica prima - Fontinus* (sic) *in descriptione uniuersi sic dicit lapis intra aquam proiectus* » f. 238.

« Summa rudium », scr. a. (14)57; inc. « *(Q)uia uaria dicta sanctorum et contrarie opiniones diuersorum doctorum* » f. 264.

« Tractatus de restitutionibus »; inc. « *(Q)uoniam sicut scriptum est mendaces sunt filii hominum* » f. 299.

« Tractatus infirmorum »; inc. « *Quoniam circa infirmos est periculum* » f. 306 v.

« Mag. NICOLAI DINCKLSPUHEL (sic) de baptismo »; praeunt quaestiones breues de eodem argumento, f. 310.

370. Chart. in 4, saec. XV, fol. *a-b* 465.

« Tabula principiorum et theatrum hoc libro contentorum », i. e. tabula codicis, f. *b*; continuatur f. *a*.

« Mag. HENRICI DE GOUDA in Cantica Canticorum pro cursu suo in theologia, in studio heydelbergensi » f. 1. — Sequuntur « Eiusdem »: I. « Recommendacio breuis in theologia » f. 8, — II. Expositio prologi in Ecclesiasticum f. 8 v. — III. Expositio in quatuor libros Sententiarum (Petri Lombardi) f. 9.

« Mag. WILHELMI DE LYRA prooemium pro cursu in theologia », a. 1425 « in die Galli sancti », et Lectiones in quatuor libros Sententiarum (P. Lombardi), habitae in studio heidelbergensi a. 1427, 1428, f. 26.

« De creare et facere, de creatura et creatore »; inc. « *Nota creare est de nichilo aliquid facere* » f. 52. — « *Castra* »; inc. « *Nota castra usitato vocabulo dicuntur munitiones et loca, cum foueis et turribus circumsepta* » f. 53 v. — « *Credere* »; inc. « *Omnis qui uidet filium (etc.) Ioh. VI. In quibus uerbis ostenditur quod credulitas fidei christianae* » f. 54. — « *Crescere* »; inc. « *Considerate lilia agri quomodo crescunt. M(a)t(th.) VI. Crescamus per caritatis inflammationem* » f. 55.

« Themata diuersa diuersorum doctorum » « pro recommendacione theologica », (indiculus), f. 55.

« Fr. IOHANNIS professi in BRUMBACH prooemium pro cursu in Ieremiam », et Lectiones in quatuor libros Sententiarum (P. Lombardi); lectionibus in primum librum adscriptus est annus 1431, f. 56.

« Fr. ANTONII BOTONTINI ord. minorum professoris indigni » sermones quadragesimales « LIX, ad Illustrem et Religiosissimum principem dominum Guidantonium Montisferetri Urbini ac Durantis praecllentissimum Comitem ».

448. Chart. in 4, saec. XV, fol. a 458.

« IORDANIS sermones » de tempore (CCXCII) « per totum annum », cum indice rerum ord. alfab. et tabula sermonum. — Praeit, f. a, brevis adnotatio lingua germanica de pretio soluto pro scriptura codicis, eoque compingendo, et pro chartis.

449. Chart. in 4, saec. XV, fol. 204.

« SENSATI sermones de tempore » (titulus manu saec. XVI), cum tabula rerum ord. alphabetico, f. 1.

(ALDEBRANDINI) « Credo » seu expositio symboli, scr. anno (14)54; inc. « *Funiculus triplex difficile rumpitur et funiculus iste quo a terra trahimur ad celum* » etc. f. 155.

« Nota quod ista sunt prohibita tempore interdicti etc. »; inc. « *Clerici non debent dicere missas nec horas in loco interdicto* » f. 190.

« Stella clericorum »; inc. « *Quasi stella matutina in medio nebulae (d est) peccatorum. Proprietates huius stelle matutine* » f. 192.

De confessione; inc. « *Confessionem quatuor debent praecedere* » f. 198 v.

450. Chart. insertis foliis aliquot membranaceis. in 4, saec. XV, fol. 374.  
 « Operis postillarum volumen secundum », i. e. sermones dominicales a Paschate usque ad Adventum, a CCLIV<sup>o</sup> ad CDLX<sup>m</sup>; inc. « *Expedita prima parte tercie partis que fuit de Xpi. passione sequitur nunc 2<sup>a</sup> pars eiusdem 3<sup>e</sup> partis que tractat de eius resurrectione* ». — Sequitur index ord. alphabetico. Codex absolutus a. 1451, die 24 Febr.
451. Chart. in 4, saec. XV, fol. 306.  
 « FRANCISCI DE MARONIS sermones » per annum, in duas partes divisi, f. 8; praeit, f. 1, « Registrum », i. e. tabula sermonum.
452. Chart. insertis foliis aliquot membranaceis, in 4, saec. XV, fol. 320.  
 « Sermones optimi de sanctis per annum »; inc. « *Sermo primus de sancto Andrea - Ligauerunt achyor manibus et pedibus et sic vincum in restibus dimiserunt eum. De achyor dicitur quod satellites holofernis ligaverunt eum ad arborem* ».
453. Membr. in 4, saec. XIV vel XV, fol. 221.  
 Sermones de tempore et de sanctis CXVII; primus « de S. Andrea » inc. « *Venite post me. Math. IIII. Beatus B. exponens uerbum propositum dicit. Per hec uerba dominus omnes nos ad eternitatem uocat* ».
- \* 454. Codex redditus a. 1816 bibliothecae Universitatis Heidelbergensis; v. Wilkenium (p. 291-295).
455. Chart. in 8, saec. XV, fol. a 238.  
 « Discipuli manuale sermonum collectum ex sermonibus eiusdem Discipuli de tempore, anno domini 1435, et hoc propter pauperes sacerdotes qui non possunt sibi comparare totum librum sermonum Discipuli », scr. a. 1438; initium madore corruptum. — Sequuntur: I. Adnotatio: « Hoc modo legitur breuiatura istius libri » etc. f. 221 v. — II. Tabulae et index rerum, ordine alphabetico, f. 222 v. — III. « Tabula de communiorebus et utilioribus materiis communi populo aliquotiens predicabiles (sic) » f. 229 v. — IV. « Tabula de Exemplis que habentur in presentibus Sermonibus » f. 230, — V. Tabulae ad inveniendam litteram dominicalem, aureum numerum etc. ab anno 1436 ad a. 1498, f. 232 v.  
 « Legenda de sancto Udalrico »; inc. « *Ulricus potest interpretari ulreicha valde reich. Nam patrem et matrem habuit claros genere et diuitiis* » f. 233 v.

Adnotationes breves de rebus theologicis et asceticis; inc. « *Homo in statu innocentie et in iustitia originali creatus* » f. 238 v.

456. Chart. in 8, saec. XV, fol. 233.

« Tractatus super Pater Noster » (titulus manu saec. XVI, eadem quae nomen adscripsit: « *Weinhaim* »); inc. « *Pater noster. Huic dominice orationi beatus gregorius premittit prologum in officio misse dicens* » etc. f. 1.

De electis et damnatis; inc. « *Nota quod XII exercitus habet Deus in celo et cuiuslibet exercitus est magna multitudo* » f. 16.

« Tractatus (alius) super Pater Noster »; inc. « *Pater noster qui es (etc.) Unum (?) vos debetis scire quod inter omnia opera que possunt fieri* » etc. f. 19.

Sermones: I. « *Sancte Crucis* », II. « *In die Ascensionis* », III. « *De Spiritu Sancto in die Pentecostis* », IV. « *De passione domini* »; primus inc. « *Benedictum est lignum (etc.) Sap. XIII. Dicit Gregorius super 1<sup>o</sup> uerbo Iob. 14. lignum habet spem* » f. 124.

« *Nota de militibus* »; inc. « *Nota condiciones militum. Miles super equum omnibus armis decoratum* » f. 132.

Excerpta ex historia regum Iudaeorum; inc. « *Nota dum rex Ioab qui singulis annis soluebat tributum regi Israel* » f. 135.

« *Tractatus de auiibus* », ord. alphabetico; inc. « *Avis que secundum ysidorum dicitur ab aqua* » f. 136.

457. Membr. in 8, saec. XIII vel XIV, fol. 184.

« *Fratris GUILLELMI prioris Lugdunensis Sermones* » f. 1. — Sequuntur, f. 177, sermones duo anonymi; prior inc. « *In cruce novi claustralis III<sup>or</sup> brachia debent esse* »; alter: « *Renouabitur ut aquila iuuentus tua. P. Electus comparabitur aquilae* ».

« *De Angelis* »; inc. « *Angelis suis mandauit de te (etc.) ps. Custodem suum* » etc. f. 179.

Officium festi corporis Christi, imperfectum; cum notis musicis, f. 180.

458. Chart. miscellaneus in 8, saec. XV, fol. 338.

Sermones de adventu domini, de consecratione ecclesiae, de b. Virgine etc. quorum primus inc. « *Verbum caro factum est. Scribitur originaliter Iohannis primo capitulo et in hodierna festiuitatis celeberrime* » etc. f. 1.

Collationes (i. e. sermones) de sanctis; inc. « *Maria est (etc.) beatus Bernhardus alloquens de laudibus sacratissime uirginis* » f. 73.

« *Remedia generalia contra negligentias missarum* »; inc. « *Si per negligentiam in missa sacerdoti euenerit quod* » etc. f. 102.

« Subsequens opus Bonaventura episcopus cardinalis dicitur compilasse, in quo informat et ammonet quosdam sacerdotes minus caute (etc.) celebrantes (etc.) » (synopsis); inc. « *Intencionis discussio* » f. 107.

« Fratris GREGORII sermo collectus et pronuncciatus (sic) in introitu capituli anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup> dominica infra octauam assumptionis uirginis gloriose Nuringe celebrati in quo quidem capitulo in lectorem sacre theologie erat confirmatus » f. 108.

« Fratris IOHANNIS PISCATORIS ordinis fratrum beate Marie de Carmelo sermo compositus et pronuncciatus (sic) ad aliam uniuersitatem studii Wien. in vigilia natalis uirginis Marie anno etc. primo lectoratus » f. 114.

« Fr. GREGORII » sermo in capite Quadragesimae f. 127 v.

Sermones quatuor in dominica I<sup>a</sup>, II<sup>a</sup> et III<sup>a</sup> in Quadragesima et in dom. Palmarum (?). Postremus imperfectus. Primus inc. « *Cum ieiunasset XL<sup>a</sup> diebus (etc.) Mt. 4 Mr. 1. Luce 4. Xpus. ieiunauit nobis in doctrinam et exemplum* » f. 141.

« Copia litterarum destinatarum per fratrem IOHANNEM DE CAPISTRANO ad omnes Barones nobiles et famosos Bohemiae qui Prage debent conuenire pro quadam eorum dieta celebranda secunda feria post octavam pasche », « anno 1452 » f. 159.

« Tullii noua ars rethorice (sic) », (i. e. Rhetoricorum ad Herennium); inc. « *Etsi negociis familiaribus impediti* » f. 167.

« FRANCISCI PHILELFI oratio de laudibus domini principis Philippi Marie (Visconti) angli habita apud senatum mediolanensem », « Mediolani (a.) M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XLVI » f. 241.

« Eiusd. ad viros papienses oratio congratulatoria de creacione Iacobi Borromei Vitaliani comitis filii ad dignitatem et gradum episcopalem » (habita) « Papie in templo domini Syri (a.) 1446<sup>o</sup> » f. 250.

« Fr. LUDOWICI DE WLPHAGEN. » sermo habitus « anno 1433 » f. 258.

Sermones septem, varii argumenti, quorum ultimus imperfectus; primus inc. « *Reuerendi magistri gimpnasiorum flosculis limpidius purpurati* » f. 266.

(Tractatus ad fratres et sorores in religione); inc. « *(A)mice accomoda mihi tres panes (etc.) Luc. XI<sup>o</sup> Karissimi (sic) in domino nostro Ihu. X<sup>o</sup> deo dicite sorores Ecce quam bonum quam iocundum habitare fratres in unum* » f. 282.

459. Chart. in 8, saec. XV, fol. 147.

Sermones de sanctis; primus inc. « *Precinxisti me uirtute ad bellum Ps. Mos est nobilium quando filios suos uolunt militari (sic)* », scr. anno 1470, (folium primum repetitum) f. 1.

Argumenta in singulos libros Sacrae Scripturae, carmine hexametro; inc. « *Astra polum iuncta terra genisis patres dat* » f. 60.

« Conclusiones super quatuor libros Sententiarum (Petri Lombardi) », versu rhythmico; inc. « *Per caritatis ardorem arduum sumpsit laborem || Aduersus heresim bellum hunc compegit libellum* » f. 79.

« Registrum tocius byblie cum omnibus capitulis suis » f. 103.

« Apparencia contraria Sacre Scripture et soluciones eorum »; inc. « *Ego non iudico quemquam - Omne iudicium dedit filio. Solucio* » etc. f. 141.

460. Membr. in 8, saec. XIV, fol. a 96.

Adnotatio de orationibus sanctorum; — « Exemplum »; inc. « *Quidam miles habens uxorem pulcerrimam (sic) et deo deuotam* » f. a. — « Exemplum » aliud; inc. « *Nota quod quidam frater laycus* » f. 1. Omnia addita varia manu.

« UNGARI » sermones de tempore, de sanctis, ad religiosos etc. praemissa tabula imperfecta, f. 1.

Versiculi de Christo salvatore: « *Quos anguis dirus tristi mulcedine pauit || hos sanguis mirus christi dulcedine lauit* » f. 96. — Sequuntur alii versus de genealogia consanguineorum Christi; inc. « *Anna solet dici tres concepisse marias.* », et — Excerpta ex ss. Anselmo et Bernardo f. 96.

461. Chart. in 8, saec. XV, fol. 292.

Sermones de tempore et de sanctis. Primus « in diebus rogationis »; inc. « *Petite et accipietis. Io. XVI. Quicumque habet aliquid agere in curia principis* » f. 1.

« PAULI summa de penitentia » f. 251 v. — In fine, brevis adnotatio inscripta: « de destinacione dei »; inc. « *Si multitudo iudeorum et gentilium et falsi Xpiani. dampnabuntur* ».

« De confessione »; inc. « *Primo doceat qualiter debeat se habere confessor ad confitentem* » f. 267 v. Continuat f. 261 seqq. et f. 268 seqq.

« Prophetia Sibille conscripta per Ioachim prophetam »; inc. « *Gallorum leuitas germanis (sic) iustificabit* » f. 276 v.

« Nomina Christi »; inc. « *Alma tamen summi sunt plurima nomina Christi* » f. 277.

« Que sunt uitanda tempore interdicti »; inc. « *Primo missarum celebratio in palam* » f. 277.

Argumenta librorum Veteris et Novi Testamenti, lingua germanica; inc. « *Genesis das püch* » f. 277 v.

« Ioseph nota », (i. e. somnium Iosephi), lingua germanica; inc. « *Hie heben sich an* » f. 278.

Sermo de dominica oratione; inc. « *Pater noster. Lucas XI. Per totum circulum anni predicacioni sacre scripture* » f. 278. — Sequuntur,

f. 280 v. adnotationes variae de rebus theologicis et moralibus: « Nota quod 4<sup>or</sup> sunt nuncii apud deum qui impetrant gratiam », — « Daniel uidit quatuor animalia », — De iusto iudicio Karoli regis, — De visione reginae Sabae, — « De peccatore », — « De uerbo dei », — « De iuuentute hominis », — « Ad gulosos », — « Domini iudicia », — « Ad iudices », — « De penitentia », — « Auaricia », etc.

Tabula sermonum et tractatum de penitentia et confessione f. 292.

462. Chart. in 8, saec. XV, fol. 233.

Sermones de tempore et de sanctis, a XXVIII<sup>o</sup> ad LXXXV<sup>m</sup>; inc. a sermone de Spiritu Sancto: « *Expedi vobis ut ego vadam (etc.) Ioh. XVI<sup>o</sup>. Iuxta inscripta verba sciendum quod Xpus. in die cene discipulis dulcissimum fecit sermonem* ». — Sequitur, f. 232, « Registrum » sermonum a I<sup>o</sup> ad LXXXV<sup>m</sup>.

463. Chart. miscellaneus in 8, saec. XV, fol. 156.

Argumenta theologica, moralia et iuris canonici, ordine alphabetico; inc. « *Abissus* » f. 1.

Lexicon biblicum « *contine(ns) vocabula) rara byblie* », scr. a. 1420; inc. « *A. littera prima inter omnes litteras* » f. 62.

Vocabulorum quorundam latinorum interpretatio, metrica et lingua germanica; inc. « *Est feodus leengut est depactacio gedinge* » f. 73 v.

« *Mag. PETRI DE ANGLIA questiones per totam quadragesimam* » f. 74.

« *Sermo de Assumptione beate virginis* »; inc. « *Exaltata sum Ecc. XIII et legebatur hodie in capella* » f. 109. — Sequitur adnotatio brevis: « *Quare herbe colligantur et benedicantur in festo assumptionis* ».

Sermo de annuntiatione b. Virginis, sine mutilis; inc. « *Describitur nobis modus dominice incarnationis* » f. 116.

« *Sermo de resurrectione domini* », imperfectus; inc. « *Pascha notandum (?) quod immolatus est Xpus.* » f. 121.

Sermo de dedicatione ecclesiae; inc. « *Hodie salus domui huic facta est. Lucas. Sicut domus secularium edificatur propter salutem corporis* » f. 123.

Propositionum partitiones logicae f. 123 v.

Brevis adnotatio de quaestionibus quae fieri solent de anno, de mense et de die f. 130 v.

Exempla epistolarum; inc. « *Reuerendo ac diligendo patri suo... scholaris studens in tali loco cum debita reuerentia obedientiam filialem. Cum ad supplementum defectuum quos suffert* » etc. f. 131.

Tractatus astronomicus, cum glossis; inc. « *Cognicio veritatis de pausis temporum circa motum solis et lune orbium et aliorum planetarum* » f. 135.

Vita s. Iodoci; inc. « *Eximius Xpi. confessor Iodocus de illustri procedens genealogia* » f. 149.

Vita s. « *Otyliae* »; inc. « *Temporibus henrici imperatoris dux adelicus* » f. 152.

Vita s. « *Athalae* »; inc. « *Beata virgo athala cuius natale hodie celebramus* » f. 153.

« *De sancto Eucharis* »; inc. « *(I)gitur postquam beatus petrus apostolus anthycenam ecclesiam* » f. 153 v.

« *De sancta Anastasia* »; inc. « *(A)nastasia nobilissima romanorum filia pretaxtati (sic)* » f. 155 v.

464. Chart. in 8, saec. XV, fol. 117.

IACOBI DE VORAGINE quadragesimale; initio carens f. 1. — Sequuntur « *Notabilia* », id est adnotationes de argumentis sermonum; inc. « *Qui ieiunatis nolite fieri sicut ypocrite tristes* »; fine mutilae.

465. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 205.

« *Peregrini (Poloni) sermones de tempore* » et de sanctis.

466. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 191.

« *Fr. IOHANNIS DE SANCTO GEMINIANO ordinis fratrum praedicatorum sermones quadragesimales de epistolis et prophetiis* ». — Sequitur, f. 186, tabula rerum ord. alphabetico.

467. Membr. in 12, saec. XIV, fol. 265.

Sermones de tempore et de sanctis; inc. « *Dominica prima Aduentus - Veniat dilectus meus in ortum suum. Quoniam ut ait ambrosius nescit tarda molimina spiritus sancti gratia* » f. 1.

Sermo de s. Ioanne Baptista, alia manu; inc. « *Singulariter apostolis et apostolicis viris dictum est luceat lux vestra coram hominibus* » f. 262 v.

468. Membr. in 12, saec. XIV, fol. 156.

Sermones varii, quorum primus inc. « *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo (etc.) Ecce ego do verba mea in ore tuo (etc.) verba ultimo proposita sunt verba domini* » f. 1.

Pictura exhibens fornacem et vasa ad liquores stillandos f. 41.

Sermones varii alii, quorum primus inc. « *In medio Ecclesie (etc.) Ecc. Ubi docet predicantem* » etc. f. 42.

Sermones de beata Virgine; fine carent; inc. « *Sapientia laudabit animam C. totum hoc capitulum potest exponi de beata uirgine* » f. 98.

469. Chart. insertis nonnullis foliis membr. in 12, saec. XV, fol. 47.  
 « Fr. IOANNIS DE CAPISTRANO Passio domini nostri Ihesu Cristi edita et predicata in Zvratisiania (sic) anno domini M CCCC LIII ».
470. Membr. in 12, saec. XII vel XIII, fol. 119.  
 Sermones de tempore et de sanctis; primus: « In natiuitate domini » inc. « *Quia hodie fatigati estis de longioris officii insolentia* » f. 1v. — Praeunt, f. 1, fragmentum de eod. facile arg. et adnotatio, manu saec. XIII vel XIV, de incarnatione domini. — Inserta est, f. 62v. particula de ieiunio XII dierum; inc. « *Bnd. Ego clemens romanus pontifex parabo viam eternam. Inueni in canonibus apostolorum hoc est quod dixit dns. ad beatum Petrum de istis XII diebus* ».  
 « Sermones de defunctis »; fine carent; inc. « *Beati mortui qui in domino moriuntur. Inmatura (sic) ut infantium* » etc. f. 103.  
 Fragmentum litaniae sanctorum f. 119.
471. Chart. miscellaneus, in 12, saec. XV, fol. 74.  
 SS. Gregorii magni, Maximi taurinensis, Augustini et Bedae homiliae in Evangelia de tempore, versibus rhythmicis in compendium reductae; prima inc. « *Dominica prima secundum lucam omelia gregorii - Quidam diues erat cuius tomus exstat abyssus || Illius seruat hic uestis purpura byssus* » f. 2. — Sequitur, f. 34, carmen de fine mundi, versibus leoninis; inc. « *In serie rerum sunt hec terquinque dierum || signa uidenda scienda cauenda docenda* ».  
 Parabola evangelica de debitoribus, versibus rhythmicis et hexametris, deleta; inc. « *Protinus intulit haec attentius expetiit dit (sic) || Incipit ergo deus aures adhibet phariseus* » f. 35v.  
 ACHILLIS STATII Achilleidos, imperfecta, f. 36.  
 Exempla virtutum; inc. « *(P)uella quedam uenerabilis nomine margareta prudens ac speciosa nimis nata de sancto audemaro qui est uicus in Flandria* » f. 60.  
 « Memoriale regule sancti Benedicti », versibus hexametris. Praeit « canon » huius carminis « ad memoranda mente capitula regule sancti Benedicti », « Leonardo abbati » dicatus, ut ex prima singulorum versuum littera patet; inc. « *Lege metri memoranda dedi. quae regula claudit* » f. 71.
472. Membr. in 16, saec. XIV, fol. 383.  
 « Fr. IACOBI DE VORAGINE sermones quadragesimales » f. 1. — Sequuntur, f. 381, tabulae paschales ab anno 1323 ad a. 1400.



## 473. Membr. in 12, saec. XIV, fol. 239.

Tabula lectionum ex Veteri et Novo Testamento in diebus festis per annum f. 1. — Inest, f. 6v. brevis tractatus cui titulus (ex initio): « In circuitu pergit spiritus et in circulos ss. revertitur ».

Similitudines sacrae de rebus asceticis et moralibus; inc. « *De ambulatione spirituali. — Sicut in corporali ambulatione ita in spirituali, oportet* » etc. f. 13v.

Sermones de tempore et de sanctis; primus: « *Dominica prima in aduentu domini* »; inc. « *Nunc propior est nostra salus quam cum credidimus, nox praecessit, dies autem appropinquavit. Secundum beatum Augustinum tunc magnus uenit medicus* » f. 33. — Praeunt adnotationes de eodem argumento, et sequuntur, f. 237, tabulae sermonum.

## 474. Chart. in 8, saec. XV, fol. a 77.

Tabula codicis f. a.

« De misterio Xpi. concordando Novum et Vetus Testamentum, ponendo primo auctoritates Veteris Testamenti, secundo concordancias ex Nouo Testamento », ad Ludovicum comitem palatinum, sacri romani imperii electorem et Bavariae ducem, f. 1.

« IOHANNIS DE FRANCFORDIA rectoris studii » (heidelbergensis) epistola ad (Ludovicum?) « principem illustrissimum » de pecuniis quas dominus de Thynsberg accepit a studentibus f. 32<sup>a</sup>-32<sup>b</sup>.

« Eiusd. » sermones III: « *De natiuitate Marie, — De annunciatione virginis, — De angelis* », ad Ludovicum comitem palatinum, « in vulgari lingua facti et in latinum translati », a. 1424, f. 33.

« Quoddam excerptum de Talmut Iudeorum », imperfectum; inc. « *Talamut est doctrina et dividitur in 4<sup>or</sup> libros quorum quilibet appellatur Cozer in genere ut nos omnes vocamus bibliam* » f. 76.

## 475. Chart. in 8, saec. XV, fol. 267.

« M. H(enrici) de Oyta collacio bona de aduentu domini », (i. e. sermones duo), f. 1.

Sermo de adventu domini; inc. « *Ecce saluator tuus uenit ysaye 62. Sancti Spiritus impetranda gratia* » f. 12v.

Sermo de sacramento eucharistiae; inc. « *Parasti (etc.) ps. 22<sup>o</sup>. Mensa ista quam in conspectu nostro paratam esse* » etc. f. 35v.

« Collacio bona de resurrectione »; inc. « *Xpus. surrexit (etc.) Paulus Ro. 6. 22. Quamuis de gloria dominice resurrectionis* » etc. f. 52v.

« Sermo » de paupertate evangelica; inc. « *Ecce nos relinquimus omnia et secuti sumus te fratres dilectissimi in domino ihesu regulariter congregati* » f. 59.

« Prophecia bona (sermo) de religiosis domini »; inc. « *Quia interrogasti me Karissime et plures hesitare narrasti* » f. 77.

Expositio capituli duodecimi ev. Lucae « incepta a. M<sup>o</sup>. cccc<sup>o</sup>. xix<sup>o</sup>. »; inc. « *(M)ultis autem turbis circumstantibus ita ut se inuicem conculcarent (etc.) Sicut dictum est in precedentibus pars 2 huius euangelii que incipit* » etc. f. 81.

Sermones duo « de natiuitate domini », priori adscriptus est a. 1410; inc. « *In sudore uultus tui uesceris pane tuo in labore sudores erunpere (sic) faciente commendes panem (sic)* » f. 250.

476. Chart. miscellaneus in 4, saec. XV, fol. 92.

« Glossa in sermonem Christi ante passionem » (titulus manu saec. XVII); inc. « *Et factum est (etc.) lucas. Appropinquabat dies festus azimorum qui dicitur pascha* » f. 1.

Sermo de dilectione dei (imperfectus); inc. « *In finem dilexit . . . nichil dereliquit que eum qui ualde amat decens est facere* » f. 15<sub>a</sub>.

« Magistri MATHEI glosa super concordantias » (de passione domini); inc. « *Egressus ihc. (etc.) Transgreditur torrentem post sermonem almificum* » f. 19.

« Sancti BERNHARDI planctus de passione » domini f. 42.

« Eiusd. exhortatio ad matutinas » - « ad sextam » - « ad nonam » - « ad uesperos », cum oratione « bona ad completorium » f. 44.

« HUGONIS liber de morum honestate » f. 46 v.

« Beati Bernhardi liber qui dicitur formula honeste uite » f. 49 v.

« Eiusd. libellus de templo spirituali » f. 54.

« Hugonis liber de bono conscientie » f. 57 v.

« Liber de tribus tabernaculis »; inc. « *Tria sunt sub omnipotentis dei manu h(ab)itacula summum ynum et medium* » f. 58 v.

« Beati AUGUSTINI liber de contemplacione Xpi. » f. 60.

« B. Bernhardi oracio intytulata karthusia », i. e. acrostichon vocabuli « Karthusia » per litteras initiales novem orationum, f. 63.

« B. Augustini » orationes duae, quarum prima ad « sanctam trinitatem » f. 64.

« B. Bernhardi oratio » ad s. Trinitatem f. 64 v.

« Eiusd. oratio intytulata planctus crucifixi » f. 65.

« Oratio bona de beata uirgine »; inc. « *Domina mea sancta Maria perpetua uirgo uirginum* » f. 65 v.

« S. Augustini oracio de passione domini » f. 66.

« Oratio ad quinque vulnera »; inc. « *Ad vulnus dextre manus primum. Gloria sacro vulnere* » f. 67. — Sequuntur gratiarum actiones de passione Domini.

Sermo de domo dei; inc. « *Quid est quod dilectus meus in domo mea*

*facit scelera multa* Ie. XI. *Venerabilis hugo primo de archa noe sic dicit. domus dei totus est mundus* » f. 68.

« INNOCENCII pape oracio de passione domini » f. 72.

« ANSHELMI (Cantuariensis) episcopi et doctoris liber intytulatus de mensuracione crucis » f. 72.

Sermo in epistolas s. Pauli, imperfectus; inc. « *Epla. ad hebreos Paulus cap. IX. Xpus. autem assistens pontifex futurorum bonorum (etc.) Si uolumus seruare legem novi testamenti* » f. 76.

« F. DE CRESCO decretorum et arcium doctoris abbatis Habundancie » epistolae quinque theologicae scriptae annis 1453-1458 f. 81.

477. Membr. in f. saec. XV, fol. 281.

« *Lectiones in officiis matutinalibus de sanctis per circulum anni legende* », ex vitis sanctorum et homiliis Augustini, Bedae, Gregorii pp., Hieronymi, Leonis pp. ad usum ecclesiae Wormatiensis.

478. Membr. in f. saec. XV, fol. 164.

« *Liber pars estivalis de tempore secundum chorum wormaciensem* », i. e. lectiones ex Vet. et N. Testamento et ex homiliis Augustini, Bedae, Gregorii pp., Hieronymi.

479. Chart. in 8, saec. XV, fol. a-b 76.

Excerptum breve ex s. Augustino f. a (membranaceo).

Fragmentum missalis cum notis musicis, manu saec. XII vel XIII, f. b (membr.).

« *Rationale Diuinorum* » (officiorum), (titulus manu saec. XVII); inc. « *Cum uniuersa que in officio diuino cantanda et legenda sunt in libris ad idem officium pertinentibus locis congruentibus sufficienter exprimentur idcirco* » etc. f. 1.

480. Chart. insertis foliis aliquot membr. in 4, saec. XV, fol. 307.

« *WILHELMI (DURANDI) mimacen. (sic) episcopi Rationale diuinorum officiorum* » f. 9; praeit tabula.

481. Membr. in f. saec. XIV vel XV, fol. 256.

« *Mag. GUILLERMI (sic) DURANTI Rationale diuinorum officiorum* ».

482. Membr. miscellaneus in 8, saec. XI, XII, XIII et XIV, fol. a 191.

Tabula codicis, manu saec. XVII ineuntis, f. a.

F. 1-42 varia manu saec. XII:

(De officio missae); inc. « *Pbr. cum se parat. ad missam iuxta romanum ordinem et consuetudinem. decantat psalmos.* » (pars haec plenior in cod. seq.) f. 1; des. « *cum populo inclinatur pro ultima benedictione.* » — « *Micrologus de dominicis obseruationibus* »; inc. « *Ab aduentu dni. usque ad natiuitatem eius: te deum laudamus* » etc. f. 6.

« *De diuersis sententiis* », i. e. sententiae ex Anselmo, Augustino, Beda, Hieronymo; inc. « *Dubitari solet an is qui per symoniacam heresim beneficia ecclesiae possidet postea mali ingressus atque usus penitens beneficia illa male habita in bonum usum retinere possit* » f. 13v.

« *Scs. Columbanus fecit hos characteres* »; praemittuntur ipsa elementa, f. 15v.

« *Sentencie de sacramento* » (Eucharistiae), ex Ambrosio, Augustino, Basilio, Eusebio « *emissen(o)* », Hilario, Petro apost. ad Clementem; inc. « *Augustinus contra Faustum. Panis et calix* » f. 15v. — De excellentia animae; inc. « *Anima sub est semper uiuens. semper in motu. inuisibilis incorporalis.* » f. 16v. — Excerptum ex s. « *August(ino) de inhonesta familiaritate* » f. 17. — « *Quid in oriente actum sit ad corroborandam fidem catholicam non silebo* » etc. f. 17v. — « *BEDAE de sudario dni. a sca. Maria contextum (sic)* »; fine caret, f. 17v.

« *Sci. AMBROSII liber de sacramentis* », i. e. de mysteriis libri VII, f. 18.

Excerpta ex « *s. Ambrosio in expositione super Lucam* » f. 39v.

S. AUGUSTINI epistola ad Bonifacium coepiscopum; inc. « *Bonefacio (etc.) Queris a me* » f. 40.

F. 43-66 varia manu saec. XI vel XII:

« *LANFRANCI. uiri religiosi. longobardi. primi. abbatis. cathmensis. (sic) scriptum. quod. per inspirationem. Sci. Sps. rogatu. Theodorici. discipuli sui. paterbrunnensis. canonici. et communi. aecclesiae (sic). utilitate. inductus. contra Beringeri (sic). andegavensis. bis. periuri. hereticam. prauitatem. edidit* » f. 43.

« *THEODORICI. paterbrunnensis. canonici de oratione dominica. scriptum. quod ob memoriam et honorem. Immadi. uenerabilis epi. instinctu reverendi sacerdotis. Reinboldi per gratiam sci. sps. edidit.* » f. 61.

De Rictiovaro Maximiani imp. praefecto, quod Treveris multos occiderit inter quos Thyrsus et Palmasium (sic) legionis Thebeae duces; inc. « *Rictiouarus maximiani imperatoris praefectus legionem thebeam iussu ipsius circumquaque persecutus* » f. 63v.

Hymnus in honorem sanctae Brigidae virginis; inc. « *Xps. in nostra insula quae uocatur hibernia ostensus est hominibus maximis mirabilibus* » f. 65.

Responsoria in honorem ss. Valerii, M. Magdalenae et Cornelii centurionis, cum neumis; inc. « *A progenie in progeniem fecit misericordiam dominus qui eduxit habraham de ur chaldeorum* » f. 65v.

Adnotationes de incendiis Paterbrunnensibus annis 1000 et 1058, de translatione et depositione reliquiarum a. 1068, et de pecunia expensa pro « aureo scrinio sci. Liborii (etc.) » f. 66 v.

F. 67 v.-147 varia manu saec. XIII:

« ECKEBERTI pbri. », « sconaugiensis cenobii monachi », « liber contra Kataros » f. 67 v.

Preces « de V. uulneribus Xpi. »; inc. « *(D)eus qui in assumpta humanitatis substancia patibulo crucis alligatus* » f. 138 v.

« Anno domini M. CCC. XVII. in chathedra (sic) sancti Petri audita sunt in nocte Tonitrua (etc.) », manu saec. XIV, — Adnotatio necrologica, manu saec. XIII, f. 138 v.

« LOTHARII dyaconi scor. Sergii et Bachi (sic) qui postea Innocencius pp. III. appellatus est liber de miseria humane condicionis » f. 139.

S. BERNARDI clarevallensis abbatis epistola ad Eugenium (III), fine mutila; inc. « *Amantissimo patri (etc.) Auditum est in terra nostra* » f. 147 v.

« Magistri HEINRICI DE HASSIA epistola contra impugnatores sancti patris Bernhardi Abbatis et generaliter contra detractores sanctorum doctorum », « ad clarificationem virginalis integritatis et puritatis matris domini gloriose », manu saec. XIV, f. 148.

F. 170 et seqq. manu saec. XII vel XIII:

« BEDE pbri. expositio in actis apostolorum », ultima pagina tantum, eademque deleta, f. 170.

« Sermo de LXX<sup>ma</sup> »; inc. « *Legitur in ecclesiastica hystoria quod nabuchodonosor rex babilonie bellica manu ierlm. inuaserit* » f. 170 v. — « De tribus diebus ante Pascha »; inc. « *Noscat uestra caritas quod in diebus sollemnibus quantum possumus altaria ornamus* » f. 172. — « De Letania maiore vel minore »; inc. « *Letania grece latine dicitur rogatio* » f. 173. — « De Mysterio Pentecostes »; inc. « *Pentecostes grece . latine dicitur quinquagesima dies* » f. 174. — « De ieiunio III<sup>or</sup> temporum »; inc. « *In quatuor temporibus solemus ieiunare pro ordinandis* » f. 174 v. — « De Natiuitate dni. et de tribus missis eiusdem diei »; inc. « *Vigilie quae a pastoribus in sacra nocte natalis dni. custodiebantur* » f. 174 v. — « De die sanctorum Innocentium »; inc. « *In die innocentium ideo (?) te deum laudamus* » f. 175 v. — « De Octaua domini »; inc. « *Octaua dni. in qua carne circumcisis est dns. ideo reuerenter celebratur* » f. 175 v. — « De epiphania domini »; inc. « *Sollemnitas vero sacratissima quae grece teophania siue epiphania nuncupatur* » f. 175 v. — « De purificatione sancte Marie »; inc. « *Ypapanti graece latine dicitur obuiatio siue apparitio dni. in templo* » f. 176. — « De Alleluia et gloria in excelsis »; inc. « *Duo ymni ab angelis in nouo testamento inueniuntur decantati* » f. 176.

« Sancti CYPRIANI martyris liber de duodecim abusivis seculi » f. 177.

« Ordo regum », i. e. regum et imperatorum nomina a Karolo Pipini filio ad Fridericum I, f. 186.

Carmen de moribus monachorum; inc. « *Largitur nulla regnum celeste cuculla || Hec sunt et plura bonitatis sola figura* » f. 186 v.

« Qualiter Arrius Alexandri episcopi diuino iudicio dampnatus sit »; inc. « *Igitur dum post concilium hierosolimitanum arrius uenisset in egyptum* » f. 186 v.

Excerptum ex Bedae gestis Anglorum, de s. Gregorio magno, fine mutilum, f. 188.

483. Membr. in 8, saec. XII, fol. 72.

« Micrologus de ecclesiasticis obseruationibus - imprimis de sacrificio missae »; inc. « *Prespiter (sic) cum se parat ad missam iuxta romanam consuetudinem decantat psalmos* » f. 1. (Pars haec plenior quam in cod. 482, post enim verba: « *inclinatur cum populo pro ultima benedictione* » f. 14 v. sequuntur capita alia, quorum primum: « *Descriptio canonis romanam auctoritatem* » sic). — « Alter de ecclesiasticis obseruationibus »; inc. « *Ab aduentu domini usque ad natiuitatem eius* » f. 25. — Addita est in calce « CLEMENTIS pp. epistula » de baptisate f. 44. — Sequuntur, f. 44 v. Quaestiones liturgicae; « *Quare septuagesima celebratur* ».

Solutiones contradictionum quae videntur esse in epistolis Pauli; inc. « *Paulus seruus ihu. Xpi. In sco. euangelio secundum iohannem. Non dico uos seruos sed amicos* »; fine mutilae, f. 59 v.

484. Membr. in 4, saec. XV, fol. 57.

Rituale benedictionum in purificatione b. Virginis, die cinerum, hebdomada maiori, herbarum, in Assumptione b. Virg. et campanarum.

485. Membr. in 8, saec. IX, fol. 113.

Fragmentum continens « Missa(m) pro semetipso », et lectiones ex euangeliis Matthaei, Lucae et Marci, et ex epistolis s. Pauli ad Romanos et ad Galatas, f. 1.

« Confessio cuiuslibet sapientis »; inc. « *Quando uolueris confessionem facere peccatorum tuorum uiriliter age* » f. 2. — « Confessio omnium peccatorum », lingua germanica; inc. « *Ih gihu alamahtigen fater* » f. 2 v.

« Cursus lunae per duodecim signa », tabula, f. 4. — Declaratio eiusdem tabulae; inc. « *Si scire uis ubi sit luna quando sol in capricornu et in kl. ian. moratur* » f. 4 v.

« Ciclus lunaris undeuginti annorum per kl. »; — Declaratio tabulae; inc. « *Primo decennouenalis anno* » f. 5.

« Ciclus solaris uiginti octo annorum per Kalendaru (sic) »; — Declaratio tabulae; inc. « *Qui uidelicet regulares* » f. 5 v.

Kalendarium cum necrologio f. 6.

Tabulae ad « terminum inueniendum » quadragesimae, paschae, rogationum, pentecostis etc. f. 12.

« Dies aegyptiaci. - Signa in quibus aegrotus an periclitare aut evadere non potest »; inc. « *Luna . I. qui ceciderit in infirmitatem difficile euadit* »; — « Tempora pro sanitate corporis quae obseruari debeant »; inc. « *Mens. mar. bibat dulce* » f. 13 v.

Litterae graecae cum interpretatione alphabetica et numerica f. 14.

Clavis cryptographica; inc. « *Si amicum inter insidiatores positum ut caute se agat ammonere desideras* » f. 14 v.

« Missa in galli cantu » f. 14 v. — Item « in natale sanctorum »; —

« In natale Sigismundi » f. 15.

« Ad sanguinem minuendum »; inc. « *Luna . I. bona est. Secunda non est* » f. 15 v.

Interpretationes hebraicorum nominum ex s. Hieronymo, et graecarum vocum; inc. « *Beatissimus Hieronymus hebreorum nominum interpretationem primus in latinam linguam conuertit* » f. 16.

Oratio ad Deum; inc. « *Deus omnipotens miserere supplici tuo qui non sum sicut innumeri serui tui* » f. 17 v.

Expositio missae; inc. « *Primum in ordine misse antiphona ad introitum canitur* » f. 17 v.

« Item expositio » (missae), (titulus manu saec. XV); inc. « *Dominus uobiscum. Salutatur sacerdos populum et orat ut dominus sit cum illo* » f. 27 v.

« Expositio de competenti », i. e. de ritibus baptismatis et confirmationis; inc. « *Sacris sacerdotibus et in Xpi. omnibus per diocesim nostram digne militantibus ill. humilis eps. in dno. salutem* » f. 36 v.

« Isidori de ecclesia »; inc. « *Interrogatio. Ecclesia cuius lingua est et quid interpretatur. Resp. grecum est et interpretatur conuocatio. eo quod omnes ad se uocet* » f. 44 v. — « Item de ecclesiae ministerio »; inc. « *Ecclesiam licet ponere in alium locum si necesse sit. et non debet iterum sanctificare* » f. 45.

« De baptismi officio ac mysticis sensibus eorumque auctoribus nominatim designatis. et de ordine uenientium ad fidem eiusdem q. misterii »; inc. « *Primum gradus est catecuminum. nam catecuminus grece latine dicitur auditor* » f. 45 v.

« Pauca ex eruditionum uoluminibus excerpta. Incipiunt de catholica ecclesia et eius ministris et de baptismatis officio »; inc. « *Ecclesiam grecum est quod in latinum uertitur conuocatio propter quod omnes ad se uocet* » f. 46 v.

Benedictio cerei in Sabbato sancto f. 48.

« Ex authentico libro sacramentorum s. Gregorii pp. urbis Romae »; inc. « *Oratio ad catecuminum faciendum* » f. 49.

« Praefatio sancti concilii (Niceni) »; inc. « *Concilium sacrum uenerandi culmina iuris || condidit et nobis congrua frena dedit* », — « Constitutio et fides niceni concilii subditis capitulis suis numero uiginti »; inc. « *Facta est autem haec synodus apud nichaeam (sic) bithiniae* » etc. f. 64.

« *Canones apostolorum* »; inc. « *Episcopus a duobus uel a tribus episcopis ordinetur* ». In margine adscriptum est, manu saec. IX vel X: « *Ecclesiasticae regulae scor. aplos. prolate per Clementem ecclesiae romanae pontificem quae ex grecis exemplaribus in ordine primo ponuntur quibus quamplurimi quidem consensum non praeuere facile et tamen praeterea quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus adsumpta esse uidentur* » f. 68.

« *Domni EGBERTI archiepiscopi liber penitentialis sumptus de canonicis patrum catholicorum ad remedium animarum* », (capita XIV; capiti ultimo praefixum est: « *edidit sanctus Bonifacius* »), praeposita tabula XIII capp. priorum; inc. « *Institutio illa sancta quae fiebat in diebus patrum nostrorum* » f. 73; cap. XIV inc. « *Quomodo possumus paenitentiam. VII. an. in uno anno paenitere* » f. 79 v.

Orationes « *contra fulgora* », et « *super uasa in loco antiquo reperta* » f. 80 v.

THEODULPHI aurelianensis episcopi capitulare ad presbyteros parochiae suae f. 80 v.

« *Predicatio* »; inc. « *Audite frs. et adtentius cogitetis quid in baptismo renuntiastis. Abrenuntiastis enim diabulo et omnibus operibus eius* » f. 91.

« *Capitula* » XXXVII; primum inc. « *Sicut sca. sinodus nicena interdicat. Nullus unquam prbr. in domo sua habitare secum permittat mulierem extraneam* » f. 92.

« *Item alia capitula (XVIII) sacerdotibus* »; inc. « *De ordine baptisterii qualiter unusquisque prbr. scit (ue)l intellegit. uel qualiter primo infans caticuminus efficitur* » f. 95 v.

(Egberti?) canones XII « *de remediis peccatorum* »; inc. « *In nomine triplo simplo - De remediis peccatorum paucissima haec quae secuntur ex priorum monumentis excerptimus* » f. 96 v.

« *BEDAE admonitio* »; inc. « *Si quis uoluerit diuino amore. ammonit. cum lacrimis deo confiteri peccata sua* » f. 101.

« *De medicinae salutaris (sic) animarum* », capp. XII; cum praef. quae inc. « *De remediis uulnerum secundum priorum patrum diffinitiones dicturi* » f. 101 v.; fine legitur « *finitus est hic liber scriptus a Commiano* ». — In marginibus f. 101 v. et 102 antiphonae cum neumis, manu saec. circ. XI; item f. 106 v.

« *THEODORI* » (DE THARSUS archiep. Cantuar.) « *libell(us)* » quem « *diuersis interrogantibus ad remedium temperauit poenitentiae* », capp. XVI,



cum praef. quae inc. « *Discipulus umbrensiun uniuersis anglorum catholicis* » f. 107 v.

486. Chart. in 4, saec. XV, fol. 364.

« Magistri IOHANNIS WENK de Heremberg sacre theologie professoris memoriale diuinorum officiorum tam de tempore quam de sanctis ad profectum canonicorum editum », scr. annis 1445 et 1446, f. 1.

(IOANNIS) « BALESTARIJ » sermones de tempore et de dedicatione ecclesiae f. 206.

(Eiusdem?) de passione Domini, imperfectus; inc. « *Et cum dixisset ihesus egressus est* (etc.) - *Postquam saluator noster in capitulis precedentibus ante eius passionem praeparauit suos discipulos* » f. 238.

487. Membr. in 8, saec. IX, fol. 45.

« Ordo ecclesiastici ministerii romanae ecclesiae vel qualiter missa caelebratur »; inc. « *Primum omnium observandum est septem esse regiones ecclesiastici ordinis urbis romae* » f. 1.

« Ordo scrutinii ad electos qualiter debeat celebrare (sic) denuntiatio scrutinii quod tertia ebdomada in quadragesima (sic) secunda feria iniatur »; inc. « *Scrutinium dilectissimi fras. (i. e. fratres) quo electi nostri diuinitus instruantur imminere cognoscite* » f. 9 v.

« De officiis in noctibus a caena dni. usque in Pascha »; inc. « *Igitur a dominica quam sedis (sic) apostolica mediana uoluit nuncupari usum obseruantiae credimus intimandum* » f. 15 v. des. « *data oratione et finitur* ».

« Ordo quomodo in sancta romana ecclesia acholitus ordinantur (sic) »; inc. « *Dum missa caelebrata fuerit induunt clericum illum planetam et orarium* » f. 22.

« Quomodo episcopus ordinatur »; inc. « *Dum a ciuitate et loco episcopus fuerit defunctus a populo ciuitatis eligitur alius* » f. 22 v.

« ALBINI diaconi abbatis cognomento Alchuini fides », fine carens, f. 24.

Ordo idem qui supra f. 15 v. sed a priore varians, f. 25; des. « *Non cantent. offertorium nec agnus dei nec communionem* » f. 30 v. sequuntur, alia manu, haec verba: « *et interrogauimus nihilominus domnum apostolicum adrianum (etc.) qui nobis dixit hora sexta hoc fieri oportere* ».

Fragmentum de numeris temporalibus, cum neumis; inc. « *Unde crescunt numeri temporales a momento in minutum de minuto in punctum de puncto in horam* » etc. f. 31.

Carmina varia, quorum initia sunt: *Musa senectutis istic cantatur amarae* » f. 31 v. — « *Fortia quid subito dissoluis membra senectus* » f. 31 v. — « *Virgo columba sua florem mihi protulit aluo* », — « *Ecce*

*bonum quam praeclarum quamque iucundum || est pariter fratres habitare et degere in unum » f. 32, — « Gratificas ihu. laudes tibi semper agamus || ob tua dona quibus redemisti sanguine mundum » (distichon in marginibus) f. 31 v. et 32, — « Tu quicumque cupis iuuenis hunc scire libellum || quo calamos poteris uocis inflare sonoros || discite tonos primum romano forte magistro » (breve carmen cui titulus: « in antifr. », i. e. in antiphonario,) f. 32 v. — « An ego rauce sonum uideor tibi strepere carmen » f. 33, — « Pastor o qui Xpi. oues per amena pascua » f. 33, — « Carmina Vergilii sunt bucolica arua ducesque » f. 33 v. — Asclepiadii, Asmeni, Basili, Euforbi, Eustedii (sic), Hilasii, Iuliani, Maximiani, Ouidii, Palladii, Pompeiani, « Vergilii », Vitalis, Vomani, sententiae metricae et epigrammata, praesertim de Virgilio Marone (nomina auctorum in marginibus adscripta), f. 33 v.*

De praesagiis ex siderum ortu; inc. « Nouo et insolito siderum ortu infausta quaedam uel tristitia (sic) potius quam laeta uel prospera miseris uentura significari mortalibus pene omnis ueterum aestimauit auctoritas » f. 40.

De anni mensibus carmen; inc. « Dira patet iani romanus ianua bellis » f. 41.

« OVIDII NASONIS » argumenta XII librorum Aeneidos Virgilii, metricae; prologus inc. « Ouidius Naso Publio Virgilio suo salutem - Virgilius magno quantum concessit homero || tantum ego uirgilio naso poeta meo » f. 42, — « Duodecim librorum capitula » inc. « Aeneas primo libyae compellitur undis » f. 44 v.

« AUG. CAESARIS epigramma quod Aeneidos Vergilii cremare uetuit »; inc. « Ergo ne supremis potuit uox improba uerbis || tam dirum mandare nefas ergo ibit ad ignes » f. 45.

488. Membr. in 8, saec. XV, fol. 69.

« Agenda bona secundum ordinem moguntinum », (i. e. Rituale ecclesiae moguntinae), cum notis musicis; inc. « Incipit exorcismus salis et aque. - In dominica die » etc. — Foliis 16 v.-17 Oratio dominica, Symbolum apostolorum et confessio peccatorum, lingua germanica. — In calce cod. alia manu hymnus in honorem b. Virginis; inc. « Maria uirgo uirginum, maria placata tuum filium ».

489. Membr. in 12, saec. X, fol. 34.

Codex liturgicus, cum neumis, fine mutilus, cui praescriptus est titulus, manu saec. XVI: « Quondam diuinus ordo »:

Litania sanctorum metrica; inscribitur: « In Letania maiore »; inc. « Votis supplicibus uocis (sic) super astra feremus » f. 1.

« Letania in penitentia Hiers. (l. Hierusalem) » (item litania metrica); inc. « *Humili prece et sincera deuotione te clamantes Xpe. exaudi nos* » f. 6.

Hymnus in honorem s. Pauli ap. fine mutilus; inc. « *Sce. Paule pastor bone* » f. 7v. — Inter f. 8 et f. 9 chartae aliquot perierunt.

Preces liturgicae variae; initio carent, f. 9.

« III id. Mai dedicatio basilice sce. Marie » (preces in die dedicationis s. M. ad Martyres); inc. « *Ant(iphona). Terribilis est locus iste* » f. 10.

Preces « de omnibus sanctis », fine mutilae; inc. « *Pater misericordiarum. et ds. totius consolationis per merita et intercessionis omnium sanctorum* » f. 15. — Inter f. 16 et f. 17 aliquot folia desiderantur.

Hymnus de b. Paulo apost. initio mutilus; des. « *Sce. Paule praesul magne nobis opem fer diuinam et perhenne gaudium in secula. Amen.* » f. 17.

« Versus de sco. Mauritio » (hymnus in s. Mauritium); inc. « *Dulce carmen ac melodem canimus* » f. 18.

Oratio ad Salvatorem mundi; inc. « *Saluator mundi salva nos homines* » f. 20.

« Antiphane (sic) in processionibus canente » (l. canendae), fine mutilae; inc. « *Surgite sancti de mansionibus uestris* » f. 20. — Inter f. 24 et f. 25 folia aliquot desunt.

Officium liturgicum de dedicatione ecclesiae, ad matutinum et laudes, initio et fine mutilum, f. 25.

#### 490. Membr. in 12, saec. XIV vel XV, fol. 42.

Preces liturgicae:

« Benedictio salis et aquae » f. 1. — Benedictio cerei (in festo Purificationis b. Mariae virg.) f. 3. — Benedictio cinerum » f. 6v. — Benedictio cerei in nocte Paschatis f. 9v.

Ordo baptismatis et benedictio fontis (in Paschate) f. 11.

« Maior litania unius diei a b. Gregorio pro importunitate bellatorum. Minor uero trium dierum a b. Mamerto ob incursione (sic) malarum bestiarum; pro collectione frugum; pro expulsionem calamitatum inuente », « In Sabbato sancto Pentecostes » f. 22v.

« Benedictio ensis ad faciendum militem in die Pentecostes » f. 22v. — « Benedictio herbarum in Assumptione s. Mariae virginis f. 23v. — Benedictio « super primitias » f. 24. — « Benedictio iter agentium » f. 24v. — Benedictio domus f. 26.

Septem psalmi poenitentiales f. 26.

Litania sanctorum f. 31v.

Preces pro infirmis et pro extrema unctione f. 32v.

« Postquam mortuus fuerit (infirmus) hic ordo dicatur » f. 36v.

\* 491. Deerat iam anno 1798. In vetere « *Inventario* » Pal. Vat. describitur his verbis: *Matthaei episc. Wormaciensis tractatus de modo consecrandi et communicandi. inc.* « Multorum tam clericorum ». — *Antiquus ex pergam. in 8, chart. scr. 40.*

492. Chart. in 8, saec. XV, fol. 223.

« Domini ALBERTI DE FERRARIIS iuris utriusque doctoris Archipresbyteri placentini tractatus de horis canonicis seu diuino cultu », « Compilatus Anno domini M CCC XXXVIII in concilio Basiliensi et collectus per me Eb. etc. (sic) Anno domini M CCC LXV » f. 1.

« IOHANNIS, scriptoris Imperialis, artis noue epistolarum libri quatuor » f. 20. Sequuntur, f. 44 v. exempla epistolarum. Opus imperfectum.

EBERHARDI, praepositi laurissensis, praemonstratensis ordinis, moguntinae dioc. epistola de collatione beneficiorum quorundam f. 48 v.

Eiusd. et fr. ALBERTI « VRHAN » ad dominum « Reynhandum » epistola de electione Hanmanni, data a. (14)68, f. 49 v.

Eiusd. Eberhardi epistola ad dominum N. praepositum s. Victoris extra muros moguntinos, qua praesentat fr. Nicolaum de Oberhem (?), canonicum ecclesiae laurissensis, ut recipiat collationem ecclesiae s. Felicitatis martyris, data a. 1467, f. 50.

Eiusd. ad dom. Adolphum archiep. moguntin. epistola de visitatione ecclesiae monasteriensis, ordinis praemonstrat. in dioecesi moguntina, a. 1469, f. 50.

Acta visitationis aliarum ecclesiarum eiusdem ordinis, moguntinae dioeceseos, a. 1469, f. 51 v.

« BALTHASARIS RASMI legum doctoris » epistolae scriptae eius nomine et nomine decurionum civitatis et doctorum universitatis ticinensis f. 55 (ad Fr. Sfortiam et ad consilium ducale mediol. cum respons. eiusd. consilii f. 55; Ad N. de N. et Eberhardum lauriss. praep. f. 59, 59 v. 61; Ad romanum imperatorem f. 63, 70 v.; Ad Ioannem de Vicomercato f. 65 v.; Ad summum pontif. f. 66, 70 v.; reliquae sine titulis).

M. TULLII CICERONIS epp. ad « Lentulum », « Curionem », « Celium », « Salustium », « Thermium », « Marcellum », « Marcum », « Anthonium », « Lelium », etc. et mutuae Ciceronis et Sulpicii f. 73.

Eberhardi, praep. lauriss. testimonium de visitatione ecclesiae Monasterii, praemonstratensis ordinis, peracta a. 1469, f. 105 v.

« RUGLERII (sic) DE COMITE, iuuenis nondum annorum quindecim, oratio in laudibus sapientissimi viri domini Iohannis Castellanei (Castiglione) reu. Papie episcopi ac cardinalis » f. 107.

Eiusd. ad Barnabam s. Victoris abbatem epistola f. 110.

Eiusd. oratio in comitiis rectoratus (facile ticinensis); inc. « *Non sum ausus ante hac* » f. 110.

Eiusd. epistola gratulatoria ad card. Castellaneum, Papiæ episcopum creatum, f. 116 v.

« MARI PHILELFI oratio in laudem cuiusdam rectoris », imperfecta; inc. « *Si magnitudinem auctoritatis uestre* » f. 117.

Eiusd. epitaphium metricum Bernardi marchionis badensis f. 120.

« IERONYMI monachi ciuis florentini epistola facta in funere cuiusdam ciuis mutinensis amicis suis transmissam (sic). Praestantissimo equiti domino .I. Lau. etc. »; inc. « *Vix superioribus tuis mutinensibus* » f. 121.

AENEAE SILVII epist. ad Nicolaum V, « ex noua ciuitate Austrie », VII kal. Octobr. a. 14(48), f. 126.

« LEONELLI ESTHENSIS (sic) acta ad Sigismundum Ces. Aug. III idus septembr. in Fontis porticu dum Ferariam Roma diuertisset » f. 130.

GUARINI VERONENSIS epistolae ad anonymos duae; prior inc. « *Hodie festum egi diem* » f. 131 v.

Eiusd. epp. tres ad Manuelem Chrysoloram, Baptistam (Zendratam) et Thomam « Fauensem », f. 133.

Eiusd. gratulatio ad Nicolaum marchionem estensem f. 135 v. — Oratio habita Ferrariae, XIV k. Maii a. 1430, f. 140 v. — Oratio ad « Nicolaum Maripetrum » venetum f. 141 v.

Eiusd. epp. ad « Zenonem de Othobellis », « Phil(elphum?) » duae, « Lodwicum de Mercantis », Baptistam « de Cendratis », Thomam « Fauensem » et « Iohannem Nicol. Salernum », f. 143.

Eiusd. oratio ad Iacobum, in morte matris eius Theodoraë, f. 150 v.

Eiusd. epp. ad « Phil(elphum?) », Hermolaum Barbarum (duae), « Bartholomeum Brenzonarium », Ioannem Chrysoloram, « Ludowicum », et « Lu(dovicum?) de Firmo » f. 161.

Eiusd. oratio; inc. « *Inter acerbissimas calamitates meas luctuosamque fortunam* » f. 169 v.

Eiusd. « oratio pro matrimonio nobilis Katherine de Pelegrinis » f. 170 v.

Eiusd. epp. ad Baptistam Zendratam (sex), « Hugonem Mazolatam » et Leonardum Iustinianum venetum, f. 172 v.

LEONARDI IUSTINIANI epistola ad Guarinum f. 176 v.

FRANCISCI BARBARI epp. ad Guarinum duae f. 176 v.

Guarini epp. quindecim ad Baptistam Zendratam f. 177 v.

FRIDERICI CORNELII ad Leon. Iustinianum epistola f. 188 v.

Francisci Barbari ad Guarinum epist. f. 199.

Guarini epist. ad (Flavium) Blondum f. 200.

BAPTISTAE « BIVILACQUA (sic) » ad Guarinum epist. f. 200 v.

Guarini epp. ad Ottobellum de Ottobellis, Bapt. Zendratam (tres), « Iacobum », « Martinum », « Egedium (sic) » f. 201 v.

Homeri Iliadis lib. I<sup>us</sup>, versus in latinos hexametros, f. 206.

493. Membr. in 4, fol. 106, litteris uncialibus saec. VIII, et litt. minusculis saec. VIII vel IX. Ordo foliorum turbatus est ita: f. 1-18: 34-43: 19-33: 44 et seqq.

Folia 1-99 litteris uncialibus:

IOANNIS REUCHLIN epistola ad Alexandrum pp. VI pro Philippo Bavariae duce palatino, 6 id. Sextil. a. 1498, manu saec. XV vel XVI; manus alia fere coeava adnotavit: « Suspectissimus orator contra integerrimos patres etc. » f. 415.

693. Chart. in 4, saec. XV, fol. 177.

« Summa que dicitur rudium »; inc. « *Quia varia dicta sanctorum et contradictorie opiniones* » etc. f. 1.

« Aliqua de passione Xpi. recepta ex collect. Walthausser »; inc.

« *Expedit uobis ut unus moriatur (etc.) Ioh. 2. Quando Saluator noster lazarum mortuum* » etc. f. 48.

IOANNIS (WERDENBERG) Augustensis episcopi statuta synodalia, a. 1469, f. 109, praemissa, f. 108, tabula capitulorum.

« *Tractatus de casu (l. casu) hominis et reparacione eiusdem* »; inc. « *Postquam suprema (sic) sapientia ea que in ipsa erant vita in lucem produxit temporalem* » f. 120.

694. Chart. in 4, saec. XV, fol. 182.

BARTHOLOMAEI PISANI (i. e. DE SANCTO CONCORDIO) summa, scr. a. 1384, f. 1; in calce (f. 172) subiunguntur quaedam inscitia librarii ommissa.

« *Tytuli decretalium* » f. 173. — « *Registrum tytulorum legalium veteris et novi Digesti, Codicis, Autentice et Institute secundum ordinem alphabeti* » f. 174.

De indulgentiis et de auctoritate eas concedendi; inc. « *Nota indulgentia est auctorialis (sic) concessio remissibilis pene peccati ex clauium potestate procedens* », tractatus fine mutilus, f. 182 v.

695. Membr. in 4, saec. XIV vel XV, fol. a 309.

Breues « *explanationes (sequentis) summule* » f. a.

« *Fratris MONALDI summa de iure canonico secundum ordinem alphabeti* ».

696. Membr. in 4, saec. XIII, fol. 116.

« *BERN(ARDI) PAPI(ENSIS) breuiarium ex(travagantium)* », cum glossis. In margine f. 1 adnotatur, manu saec. XVI vel XVII: « *M. Pauli Florentini (i. e. Attavantis) breuiarium* »; minus recte.

697. Membr. in 8, scriptus anno 1470, fol. 396; picturis illustratus.

« *Fr. NYCOLAI DE AUSMO (l. Ausimo) supplementum pisanelle* » « *expletum* » a. 1444. — In fine, f. 394, adnotatio de FRANCISCO BARBARO qui « *codicem scribere fecit* » a. 1470.

« *Gradus consanguinitatis* » f. 394 v.; — « *Gradus affinitatis* » f. 395; — « *Cognacio spiritualis* » f. 395 v. (stemmata).

698. Membr. miscellaneus in 12, saec. XIII et XIV, fol. 75.

« *Tabula super summam Reymundi (de Pennaforti) que tam sententiam textus summe quantum etiam glosatim omnia sub quadam breuitate sic comprehendit et aperit ut etiam non habentibus summam multum sit utilis* », ordine alphabetico, manu saec. XIII; prologus inc. « *Aliqua autem veritas de textu summe elicitur* » f. 1.

Interpretatio definitionum, verborum et sententiarum iuris, manu saec. XIV; inc. « *Ius est ars equi et boni. Hoc est scientia qua discernitur bonum a malo. equum ab iniquo* » f. 68.

Brevis precatio, lingua germanica; — Notae et compendia quae adhibentur in iure civili et canonico cum interpretationibus, manu saec. XIV, f. 75.

699. Chart. in 12, saec. XV, fol. 167.

« Tabula iuris », ordine alphabetico; inc. « *(A)dulterium accusator (sic) coram iudice* » etc. f. 1.

« Alia tabula iuris » (scilicet decretalium librorum quinque), ordine alphabetico; inc. « *(A)gentes et consentientes pari pena puniuntur* » f. 73.

700. Chart. in 4, saec. XV, fol. 77.

« Summule de viciis et virtutibus », i. e. « de effectu siue actiuacione viciorum » f. 1, « de occultatione viciorum » f. 13, « apparitor de viciis et virtutibus » f. 27; inc. « *Est via que homini videtur recta (etc.) prou. XIII. Quia secundum Gregorium 32 Moralium multa sunt vicia* » f. 1.

Auctoritates Sacrae Scripturae expositae « per Thomam (de Aquino) in prima parte 4<sup>o</sup> », ord. alphabetico, f. 39.

701. Chart. in 4, saec. XV, in duas partes divisus, fol. 1-215, 216-412.

« Fris. ASTEXANI (l. Astesani) de civitate astensi summa perutilis diuersorum casuum » (conscientiae); fine caret inde a c. 9 secundi libri, f. 1.

« Qualiter debet predicari et qualiter audiri et de fructibus audientium », tractatus imperfectus; inc. « *Declaracio seruorum tuorum illuminat (etc.) ps. Inter cetera caritatis officia* » f. 121.

Sermo de spe in misericordiam dei; inc. « *Gustate et videte quam suavis est dns. (etc.) ps. 31. Statuerunt multi errore ceco ducti* » etc. f. 132 v.

« Mag. FRANCISCI DE MAIARONIS (sic) ordinis Minorum veritates cum dubiis et questionibus incidentalibus super libro b. Augustini de ciuitate dei multum utiles ad intelligendum pefatum librum », cum « tabula » ordine alphabetico, f. 135 v.

Sermo « de misericordia dei »; inc. « *Reuertere reuertere sonamitis (sic) reuertere (etc.) can. 60. Superat omnem sermonem altitudo clemencie dei* » f. 170.

« Predicacio de anima »; inc. « *Quid prodest homini (etc.) Mt. 16. Miserabiles uocari possunt qui sponte et sua malicia rationalem animam cognoscere nolunt* » f. 174.

« De pena homicidii » sermo; inc. « *Licet quidem omnibus homicidiis una sit temporalis pena communis* » etc. f. 178 v.

« Sermo de beata virgine »; inc. « *Miraculum virginis marie de citacione finalis tube ad iudicium* » etc. f. 179.

« Liber formularum contractuum et aliarum rerum » (titulus manu saec. XVI), i. e. epistolae pontificum, cardinalium, imperatorum, regum et principum, supplicationes, testamenta, compromissa, contractus etc. nonnumquam lingua germanica; inc. « *Qualiter cuidam conceditur honor et tytulus doctoratus et tribuitur sibi facultas kathedram doctoratus ascendendi. - Sigismundus* » etc. Insunt: « Abbatis et conuentus ord. sci. Benedicti Augusten. dioc. (sic) », « Adolphi ducis de Monte et comitis de Rauesberg », « Antonii etc. (sic) », « Alberti regis » a. 1298, « Bartholomei epi. cremon., Gaspari de Vicecomitibus, Bartholomei de Falchonibus, Iohis. de Corwinis ambasiatorum Phyllippi (sic) Marie Angli », « Benedicti (pp. XII) decano et caplo. eccie. Weczflarien. Treueren. dioc. »: « *Cum a nobis* » « dat. Auinion. VI kl. Apprilis » a. III, « Bonifatii (IX) epis. Minden. et Verden. », « Eiusd. »: « *Officii nostri debitum* » « dat. Rome etc. (sic) », « Eiusd. »: « *Constituti* », « Karoli quarti Romanorum imperatoris », Cardinalium S. R. E. ad Ludovicum comitem palatinum a. 1417, « Conradi Romanorum regis secundi », « Conradi de Susato canonici eccie. Spiren. » a. 1409, « Dietherichii » archiep. Coloniensis (germanice), « Eckardi episcopi Wormacien. », « Friderici Colonien. eccie. archiepiscopi », « Gregorii » (pp. XII): « *Ut per alias tibi scripsimus* », « Heinrici dicti de Maguncia », « Heinrici ducis de Limburg », « fr. Heinrici de Plawen ordinis hospital. sce. Marie domus Theutonicor. magistri generalis . et conuentus loci eiusdem », « Henrici regis Francie et Anglie », « Innocentii » (pp. VII?): « *Rex regum* » « dat. Rome etc. (sic) », « Innocentii (pp. VII) Ruperto regi Romanor. »: « *Iustis et honestis* », « Iohannis (pp. XXIII) »: « *Ad pacem et exaltationem ecclesie* », « Iohannis Coheym clerici Treuerensis », « Iohannis (Walenrode) archiepiscopi rygen. Heinrici senioris domini in Plawen nec non Michahelis (sic) Quoquine (sic) supremi Marschalki (sic) » et « Weneri de Tetingen supremi hospitalaris in Elbing. » a. 1412, « Iohannis decani et Capituli eccie. Weczflarien. » et « civium weczflariensium » a. 1275, « Iohannis archiepiscopi stagonen. » a. 1412, « Iohannis de Fabrica », « Leonis (pp. VIII) »: « *Conuenit apostolico moderamini* », « Ludovici comitis palatini » a. (14)16, « Machildis de Sabaudia » « filiae ducis Amedei de Sabaudia », « Martini (pp. V) » « dat. Constantie XI kal. decembr. » a. 1, « Fr. Michaelis ord. s. Francisci », « N. episcopi Argentinensis », « Petri prepositi et archidiaconi ecclesie seconens. », « Prepositi Sebenburgen. », « Ruperti senioris comitis palatini », « Ruperti Romanorum regis », « Sigeberti dicti abbatis », « Sigismundi imp., » « Synodi Constantiensis » a. 1416, « Tristani et Francisci quondam Frederici de Sauorgnans » a. 1412, « Ulrici episcopi

Verden. Burchardi de Mulenheim (etc.) ambasiatorum in causa matrimoniali » inter Mathildem de Sabaudia et Ludovicum comitem Palatinum, « Wenceslai regis », « Waltheri (etc.) can. in Franckeford et Volmari de Homubach arbitratorum super sedanda discordia inter decanum et oppidum Weeczflar. » a. 1280, « Wigandi decani capituli eccie. Weeczflar. Iudicium Scabinorum Consulum et uniuersor. ciuium » a. 1280, « Wisentonis prepositi mon. in Walthusa », « Wladislai regis Polonie », « Wolf Oleyer von Spier » a. 1424, f. 180.

Sententiae de peccatoribus et de morte, praesertim ex Bernardo et Augustino; — Exempla moralia; inc. « *Legitur de quodam heremita a quo cum quidam quererent quid faceret* » etc. f. 412 v.

702. Membr. in 12, saec. XIII vel XIV, fol. 202.

Summa de vitiis (eadem prorsus quae in cod. 705 f. 61); fine mutila; inc. « *Dicturi de uiciis incipiemus a uicio gula* ». Praeit tabula capitulorum.

703. Membr. (usque ad f. 327) et chart. (inde a f. 328), in 4, saec. XIV, fol. 346.

Mag. « RAYMUNDI (DE PENNAFORTI) summa de poenitentia et de matrimonio », cum brevi glossa, f. 1.

« Tituli super summam Raymundi » f. 328. — « Tituli super apparatu summe Raymundi de casibus » f. 338 v.

704. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 261.

Mag. « RAIMUNDI (DE PENNAFORTI) summa » (de poenitentia et matrimonio), cum glossa, f. 18. Praeit, f. 4-17, « Tabula secundum ordinem litterarum alphabeti ad inueniendum quotus titulus siue rubrica in quoto libro sit ».

De interdicto et de variis censuris ecclesiasticis; inc. « *Sciendum quod quando uniuersitas populus ciuitas locus siue terra ecclesiastico supponitur interdicto S. iura que uigent et uiguerunt anno dni. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>. articuli sunt tenendi* » etc. (finem quaere f. 1-3) f. 250.

705. Chart. in 4, saec. XV, fol. 259.

« Dni. ANTHONINI (sic) archiepiscopi florentini tractatus de instructione seu directione simplicium confessorum » f. 2; praeit tabula f. 1.

« Beati IOHANNIS CHRISOSTOMI sermo de penitencia »; inc. « *Provida mente et profundo cogitatu* » f. 52 v.

IACOBI GILG brevis adnotatio autographa lingua germanica f. 59 v.

« Summa uiciorum » (eadem quae in cod. 702); inc. « *Dicturi de*

*singulis vicis cum opportunitas se offerret incipientes a vicio gula* » etc. f. 61; sequuntur, f. 258, « capitula in summa viciorum ».

706. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 120.

« Fris. IOHANNIS (FRIBURGENSIS) Lectoris summa confessorum » (pars tantum, usque scilicet ad quaestionem XX mutilam tituli VIII libri I), praeviis prologo et tabula. Praemittitur eiusdem alius prologus « in libellum questionum casualium » f. 1. Accedit, f. 23, « tractatus de matrimonio quasi quartus liber huius summe ».

« Isti sunt paragrafi (sic) summe (confessorum) fris. Raymundi de Pennaforti » f. 56v.

Ioannis (Friburgensis) Lectoris « statuta summe confessorum ex sexto decretalium addita quantum pertinere videtur ad materiam eiusdem summe, ac sub eisdem titulis et numero questionum » f. 59v.

Eiusd. « tabula super summam confessorum » (index ordine alphabetico) f. 70v.

707. Membr. in f. saec. XIV, fol. 347.

IOANNIS (FRIBURGENSIS) Lectoris idem opus integrum, id est: Prologi f. 1, — Tabula f. 1v. — Summae confessorum libri quatuor f. 3, — « Isti sunt paragrafi (sic) » etc. f. 284, — « Statuta summe confessorum » f. 286v. — Index ordine alphabetico f. 296.

708. Membr. in f. saec. XIV, fol. 382.

IOANNIS (FRIBURGENSIS) Lectoris idem opus: Prologi f. 1, — Tabula f. 1v. — Summae confessorum libri quatuor f. 2v. — « Isti sunt paragrafi (sic) » etc. f. 322, — « Statuta summe confessorum » f. 326, — Index ord. alphabetico f. 338.

709. Chart. in 8, saec. XV, fol. 145.

« Manuale confessorum, doctrina perutilis » in duas partes divisum; inc. « (Q)uoniam iuxta beati gregorii in suo pastoralis » etc. scr. a. 1470, f. 1. — Sequitur, f. 58, « Registrum » (i. e. tabula capitum).

Quando et quomodo loquuta est beata Virgo; quomodo « visitavit dns. plebem suam » etc. tabulae synopticae; inc. « *Ut scias quam veneranda (?) sit adtende qualiter in loquendo custodiam sui sermonis servavit* » etc. f. 59v.

« Oculus consideracionis religiosorum »; huius tractatus pars ultima tantum incipiens a verbis: « *In fine huius opusculi oculus scilicet et stilus se vertant ad priores semitas patrum sanctorum* » f. 61.

« Doctoris IACOBI (IUNTERBUCK) de Paradiso igniculus deuocionis » f. 67 v.

« Eiusd. tractatus de causis multorum uitiorum et remediis eorumdem et precipue de intollerantia iniuriarum », scr. a. 1470, f. 83.

« Eiusd. de arte curandi uitia », opus « terminatum » a. 1469, f. 96.

Breua capita inscripta: « Pro emendacione uite », « Bona deuocionalia », « Pro meritis acquirendis », « De choris (l. horis) canonicis », « Preparatoria ante missam vel communionem », « Ante communionem (etc.) », « In eleuacione hostie », « Pro gratiarum actione post communionem (etc.) », « Oratio pro afflictis et captiuis », « Quid homo faciat in tribulacionibus, informatio salutaris », « Medela super tristicia », « Documentum et exemplum quod homo iuuans alios nihil perdit ymmo multum lucratur », « Modus satisfaciendi pro negligentis », « Nota pro deuocione concitanda »; primum incipit: « *Et ut homo relicta peccaminosa conuersacione sua Xpm. induat* » etc. f. 112.

« Liber de triplici stabilitate scilicet corporis sensuum et mentis »; inc. « *Postquam contempta mundi vanitate ad spiritalis milicie castra diuina preuentus gratia me contuli* » f. 117.

« RABANI (MAURI) de officio misse » f. 129 v.

« Tractatulus de quatuor virtutibus » cardinalibus (v. cod. seq. f. 87); inc. « *Quatuor virtutum species multorum sapientum sententiis diffinite sunt* » f. 132.

« De sacramento corporis Xpi. et sacerdotibus et eorum officiis circa hoc sacramentum »; inc. « *Pater sanctissime petre audi quid loquatur dns. in pauperculo seruo suo* » f. 135 v.

« Bonus et breuis tractatulus de uirtute paciencie »; inc. « *Ex caritate humilitate nascitur uirtus patientie* » (fine caret) f. 140 v.

Sermo in verba: « (S)i uideris sensatum euigila ad illum cm. 5 (sic) », et « (N)unc prior est nostra salus. Rom. 13 », primum folium tantum; inc. « (S)i uideris (etc.) *Circa processum istius libri, iste sensatus ad intelligibilia se extendit* » f. 145.

#### 710. Chart. in 8, saec. XIV, fol. 94.

(BERENGARII ep. Tusculani) tractatus de confessione, praevia tabula imperfecta (v. cod. 714), f. 1. — Sequuntur, f. 68, varia eiusdem argumenti.

Distinctiones theologicae; inc. « *Inter deum et hominem ita quidam distinxerunt* » f. 72.

De quatuor virtutibus cardinalibus; inc. « *(Q)uatuor virtutum species multorum sapientum sententiis diffinite sunt* »; fine caret, (idem tractatus qui supra in cod. 709 f. 132, sed in singulis partibus imminutus, et prolixior in fine) f. 87.



711. Chart. et membr. (f. 1-32 ch., 35-79 partim ch. partim mb., 80-103 mb.) in 12, saec. XV, fol. 103.

« Summa penitentiae », sive tractatus de confessione, scr. a. 1433; inc. « *In primis sacerdos debet interrogare penitentem* » f. 2. Praeunt, f. 1, brevis prologus inc. « *Quoniam circa confessiones pericula sunt* », et tabula.

Versus de septem operibus misericordiae, sacramentis, donis Spiritus Sancti etc.; inc. « *Infirmum . Sitientem . Esurientem . Captivum . Visito . Poto . Cibo . Redimo .*

*Hospitem . Nudum . Sepelio mortuum*

*Collico (sic) . Tego . Condo* » f. 30 v.

De peccatis, lingua italica; inc. « *Omnis mortalium cura (etc.) dice Sancto Seuerino nel libro che fe de la philosophica consolatione* » f. 33. — Folia membranacea, 38, 39, 44, 45, 46, 50, 51, 56, 57, 62, 63, 68, et fortasse 79, rescripta. Antiquior scriptura fere tota deleta: folia 38, 39 eadem manu saeculi circiter XIV: f. 50-51; 57, 62, 63, 68 facile eadem manu saec. XII, cum neumis.

Breve excerptum ex s. Augustino f. 79 v.

« ANTONII DE BUTRIO de Bononia directorium confessionis faciendae compositum et ordinatum anno M . CCC . quinto et completum in die XXV mensis marcii », (initio caret), f. 80.

Synopsis de confessione; inc. « *(D)octrina quomodo confessor debeat docere confitentem* » f. 99 v.

De festiuitatibus anni; inc. « *Nota quod omnes festiuitates totius anni diuiduntur in tres partes principales. s. in duplices* » etc. f. 102. — « *Regula ad inueniendum Pascha* »; inc. « *Hec est paschalis tabula in qua enim (sic) inuenire potes quo die ueniat* » f. 102 v. — Tabula festorum mobilium, scr. a. 1437, f. 103.

712. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 293.

« Manuale collectum de summa confessorum (Raymundi de Penaforti) », praeviis prologo et tabula; prologus inc. « *Cum summa confessorum penitenciariorum specialiter dirigens* » etc. f. 1.

« Tractatus de instructione confessorum » sive « *confessionale* »; inc. « *Simpliores (sic) et minus expertos de modo audiendi confessiones informare cupiens* » f. 233.

« Tabula super manuale », i. e. index rerum tractatus cuius supra f. 1, ordine alphabetico, f. 253 v.

713. Membr. in 8, scriptus anno 1477, fol. 118.

« Fr. BARTHOLOMEI DE CHAIMIS de Mediolano ord. minorum interrogatorium siue confessionale ». — In calce codicis carmen in laudem

auctoris; inc. « *Si quem peniteat scelerum culpamque fateri || aures clauigeri presulis ante uelit* » etc.

714. Chart. in 8, saec. XV, fol. a 260.

Monita ad sacerdotes metricae; inc. « *Pbr. attente capias hec dogmata mente* » f. a.

« Dni. BERENGARII quondam episcopi Tusculani ac dni. pape summi penitenciarum summa seu summula confessionis », f. 4, praevia, f. 1, tabula.

Tractatus de confessione (idem qui supra in cod. 711 f. 1) f. 68.

« Confessionale », sive tractatus de instructione confessorum (idem qui in cod. 712 f. 233), f. 97.

« MAG. HERMANNI DE SCHILDIS tabula », seu summa de poenitentia « ex diuersis dictis et scriptis sanctorum patrum et doctorum » ad dnm. Ludovicum de Hassia quondam episc. monasteriensem, f. 140.

« Auctoritates quaedam et regule iuris »; inc. « *Prelatus non est beatus propter cathedram sed cathedra propter eum* » f. 158.

De deo benedicendo sermo; inc. « *Sepe in die laudem dixi tibi. Quamuis dans (l. dominus) semper et omni tempore a nobis sit laudandus* » etc. f. 159 v.

Sermo de passione domini; inc. « *Proprio filio suo non peperit (etc.) Ad Rom. VIII. Dilectissime gentes in scriptura reperimus quod mortis ac passionis saluatoris dni. nri. ihesu Xpi. fuerunt plures tradiciones* » f. 170.

Inuentio corporis s. Antonii heremita; inc. « *Tempore quo constantius imperator regebat imperium in bizantina ciuitate* » etc. f. 225 v.

« Tractatus de arte moriendi »; inc. « *Cum de presentis exilii et mortis miseria transitus propter moriendi impericium* » etc. f. 247.

715. Mémbr. in 4, saec. XV, fol. 189.

« Fris. BARTHOLOMEI DE S. CONCORDIO de Pisis summa de casibus conscientie », primis foliis carens; inc. a fine secundae quaestionis de Eucharistia, f. 1.

« Iste sunt declarationes de breuiaturis in hac summa contentis »; inc. « *Al. Albertus theotonicus* » f. 189 v.

716. Chart. in f. scriptus anno 1533, fol. I-VII 192.

« MICHAELIS GASS archimusici Principis Ludovici Palatini tercii directorium omnium eorum quae per totius anni curriculum in sacello illustrissimi Principis Palatini canuntur et aguntur, eiusdem nomine, iussu et auctoritate congestum anno dom. M<sup>o</sup>. ccccc<sup>o</sup>. xxxiii ». Foliis I-VII prae-figitur « Index omnium eorum quae in hoc libro continentur ».

717. Chart. in 8, saec. XIV vel XV, fol. 149.

« Mag. HEINRICI DE HASSIA tractatus compendiosus de confessione » f. 1.

« Mag. MATHEI (sic) DE KRACOVIA confessionale » f. 13.

« Liber de occultacione viciorum »; inc. « *Est via que apparet homini* » etc. f. 29 v.

« Sci. THOMAE DE AQUINO summa de officio sacerdotis » f. 38.

« HERMANNI DE SCHILDICZ ord. heremitorum (sic) s. Augustini speculum manuale sacerdotum », sive « tractatus de sacramentis », f. 49.

« Tractatus de horis canonicis dicendis »; inc. « *Nota quod sunt varia ditta* (sic) *doctorum de horis canonicis dicendis* » f. 57 v.

« PAULI KOLVER tractatulus de septem horis canonicis » f. 69 v.

Tractatus de casu angelorum, de creatione hominis et primo peccato, de Antichristo, de iudicio, de purgatorio, de resurrectione et universali iudicio; inc. « *Omnes angelos deus fecit bonos* » f. 80. — Sequuntur, f. 86 v. adnotatio brevis de caritate, et « Numerus et ordo Veteris Testamenti et Prophetiarum ».

« Mag. HEINRICI DE HASSIA compositio misse » f. 87. — Sequuntur, f. 99, versus, sententiae et praecepta de eodem argumento; inc. « *Vultus prespiteri* (sic) *celebrantis nemo tueri* » etc.

De oratione; inc. « *Primo queritur an ad hoc quod fructuosa sit oracio* » f. 100.

« De verbo genito a patre », adnotatio; inc. « *Quomodo hoc fiat quod verbum gignatur a patre* » f. 101 v.

« Opusculum de anima », scil. de intellectu, conscientia etc.; inc. « *Dicit philosophus intellectus agens est omnia facere sed possibilis omnia fieri* etc. (haec in rubrica). *Sed in hoc differunt quod speculatiuus intellectus* » etc. f. 102.

« B. AUGUSTINI liber supputacionum de diuinis scripturis collectus » (titulus ex praefatione) f. 104.

Quaestiones XXXIII de contractibus et eorundem solutiones; sunt « conclusiones » tractatus Henrici de Hassia de eodem argumento, f. 108.

« De materia imprestitorum seu annalium reddituum »; inc. « *Primo considerandum quod usura est quidquid sorti accidit* (sic) » f. 111.

« Expositio summe sacrificiorum », i. e. carmen de sacrificio missae et expositio eiusdem cum prologo; inc. « *Boecius in 3<sup>o</sup> de consolatione, prosa nona* » etc. f. 113.

Carmen de peccatis et poenitentia, et expositio eiusdem; inc. « *(A)ristotiles scribit 4<sup>o</sup> ethicorum anima est nobilior particula quam sit corpus* » f. 128.

« Miraculum bonum de sancta Katherina »; inc. « *De sancta Katherina Petrus Rauennensis scribit* » f. 139.

« Confessio sancti Bernhardi »; correxit alia manus eiusdem aetatis « cuiusdam Bernhardi peccatoris »; inc. « *Ego peccator indignus culpabilis: Confiteor deo* » etc. f. 140.

Peccatorum genera; inc. « *Nota peccata cordis hec sunt. Cogitacio - Delectacio - Consensus* » etc. f. 147.

718. Membr. in 12, saec. XV vel XVI, fol. *a-b* 146.

Paginae duae PSALTERII saec. XIV; insunt psalmi poenitentiales, f. *a-b*.

« Dni. ANTHONINI (sic) Rmi. Archiepiscopi Florentini tractatus de decimis soluendis » f. 1.

De peccatis manus physicae et moralis; inc. « *(M)anus detractoria: manus feneratoria* » etc. f. 3v.

« Anthonini (archiep. florent.) quinque regule ad cognoscendum peccatum si est mortale uel non » f. 12.

« Eiusd. de socidis animalium », id est « de traditione animalium que dicitur socidum et aliquando est usura », f. 15.

« Eiusd. tractatus de usuris » f. 22. — Sequitur « Constitutio concilii lateranensis contra usurarios » f. 25.

« Circumstantiae confessionis quas habere debet uera confessio »; inc. « *Prima circumstantia est quod ipsa confessio debet esse premeditata* » f. 26.

« Antonini (archiep. flor.) tractatus de cambiis » f. 27.

« Eiusd. de celebratione, obligatione ac defectibus diuini officii » f. 32.

« De leui et graui et enormi iniuria »; inc. « *Iniuria leuis est et leuis indicatur si aliquis ponit manus super clericum* » etc. f. 39. — Sequitur « Declaratio Dni. Innocentii pp. 4<sup>i</sup> de leui iniuria ».

« MARTINI pp. V constitutio de obseruantia censurarum »: « *(A)d euitanda scandala* » f. 40.

EUGENII IV constitutio « de communione fienda a fidelibus in die sancto pasce uel aliter »: « *Fide digna relatione* » f. 40v.

« De quinque causis ob quas differri debet sacramentum corporis Christi »; inc. « *Quequam (sic) sunt genera personarum quibus differtur corpus christi seu datur dillationis terminus* » f. 41. — Sequitur, f. 42, adnotatio brevis; inc. « *Nota secundum theologos et iuristas - Opera uiua quae facta fuerunt in charitate mortificantur per sequens peccatum mortale* ».

« Antonini (archiep. flor.) responsio facta fratri Dominico de Cathelonia (sic) ord. praed. super infrascriptis dubiis » f. 42v.

« Eiusd. remedia contra omnia uitia » f. 69.

« Eiusd. forme sacramentorum ecclesie » f. 88.

« Eiusd. tractatus de circumstantiis confessionis et interrogationis » f. 91. — Sequuntur, f. 109v. sententiae et definitiones variae ex iure canonico.

« Eiusd. declarationes facte in aliquibus casibus a iure in quibus cognoscitur peccatum mortale » f. 113.

« Interrogationes quae secundum Anselmum debe(n)t fieri infirmo morienti » f. 119.

Sententiae ex summa s. Thomae Aquinatis f. 119 v.

« Anthonini (archiep. flor.) aliqui casus in quibus quis tenetur ex reatu sanguinis licet actualiter non occiderit, — Quoad sacros ordines accipiendos, — De interdictis, — De suspensis seu suspensionibus, — De irregularitatibus, — Casus in quibus episcopi possunt non solum absoluere sed etiam dispensare, — De privilegiis episcoporum, — Casus in quibus abbates dispensant, — Capitula ex decretalibus contra medicos non curantes prius salutem animae quam corporis et contra statutarios et scriptores statutorum existentium contra libertatem ecclesiae »: excerpta omnia ex iure canonico, f. 120. — Sequuntur, f. 142 v. sententiae ex Augustino et Thoma aquinate, et, f. 144, « Formae absolutionis ».

719. Chart. praeter f. 178, 179 membr. in 4, saec. XV, fol. 184.

Anonymi epistola ad quemdam plebarum de « petitione (et) melioratione reddituum » parochialis ecclesie; inc. « *Rationali salutatione premissa* »; — Tabula codicis imperfecta, f. 1.

« NICOLAI DE TEREŒ. compendium » cuiusdam tractatus de confessione; inc. « *Nota primo confitens* » f. 1 v.

« Tractatus de confessione »; inc. « *(Cum in arte naturalis medicine* » etc. f. 2.

Carmina in tabula codicis inscripta: « Boni versus de diuersis »; scilicet: De hospite; inc. « *Est hospes mitis recipit uos unde uenitis* »; — De femina; inc. « *Femina res fragilis res sordida res puerilis* » f. 23 v. — « De memoria mortis »; inc. « *Sepe recorderis bone frater quod morieris* »; — « De memoria sepulchri »; inc. « *Hoc tibi sit menti carnem superare uolenti* »; — « Ex homine erit vile cadauer »; inc. « *Vile cadauer eris rogo te frater hec mediteris* »; — « De oratione »; inc. « *Cum campana sonat confestim surge ualenter* »; — « De humilitate »; inc. « *Sis humilis corde qui uiuere vis sine sorde* »; — « De culpa dicenda »; inc. « *Te peccantem tuam presto (sic) dicere culpam* »; — Versus sine titulo de variis argumentis; inc. « *Vini mirabilia volo pertransire* » f. 24; — « Versus de quadragesima »; inc. « *Ut bene uiuamus a sordibus abstineamus* » f. 24 v.

« Summa penitentiarum », carmen cum breui glossa inter lineas; inc. « *Peniteas cito peccator cum sit miserator* » f. 24 v.

Carmen de amore; inc. « *Instabiles oculi procul absint uirginitati* » f. 25 v.

« Mag. HEINRICI DE HASSIA tractatus de contractibus empcionis et vendicionis », scr. anno (14)29, f. 26.

Sententiae morales, metricae; inc. « *Quidquid agas secreta tue non pande dilecte* » f. 44.

De arte moriendi »; inc. « *(C)um de presentis exilii miseria, mortis transitus* » etc. f. 44.

Hexametri tres: « *Turpis avis proprium defedit stercore nidum* » — « *Cum domino psalles psallendo hec tria serues* » — « *Erige cor sursum bene profer et respice sursum* » f. 48.

Carmina « de ebrietate »; inc. « *Nil valeat ebrietas per quam perit omnis honestas* »; — « *De catto et murilego* »; inc. « *Cattus amat piscem sed non vult tangere flumen* »; sequuntur sententiae variae; inc. « *Sepe locus plures facit apto tempore fures* » f. 48 v.

« *Cornutus* » (i. e. Mag. CORNUTI carmen); inc. « *Cespitat in phaleris ypus blactaque supinus* (sic in omnibus) » f. 49. — « *Cornutus antiquus* »; inc. « *Phisis orexima peon allers horret orexim* » f. 49 v. Brevis glossa inter lineas.

« *Versus de femina* »; inc. « *Arbore sub quadam dictabat clericus adam* » f. 50. — Sequuntur alii versus de eodem argumento inc. « *Nonne uides quod nulla fides est in muliere* ».

Missa satyrica in honorem Bacchi; inc. « *Confitemini Bacco quoniam bonus quoniam in ciphis et in cantaris est potatio eius* » f. 50 v.

Carmen satyricum, partim latine partim germanice. Argumentum patet ex initio: « *Sepius occurrit sociis dare metra pusillis || Unde labor capitur et cura resurgit in illis || Quapropter uolui lagwen (sic) corda mederi || Ipsi condolui curas cupiens remoueri || Carmina composui que possint absque labore || Hec dare discipulis omni cessante dolore* » f. 51 v.

« *De Imitatione Xpi. libellus deuotus* », liber primus; inc. « *Qui sequitur me non ambulat in tenebris dicit dominus. Hec sunt uerba Xpi.* » f. 54.

De ludo alearum et taxillorum, tractatus moralis; inc. « *Aduertendum quod quatuor sunt principaliter per quae se retrahere debent homines a ludo alearum et taxillorum* » f. 59 v. — Sequuntur, f. 60, excerptum ex s. Augustino, et breues sententiae.

« *Hore de Compassione bte. Marie Virginis* » f. 61.

Peccatorum genera; inc. « *Peccata cordis sunt hec* » f. 63. — Sequitur breuis adnotatio de martyrio cum sanguinis effusione et sine sanguine.

« *Mag. Heinrici de Hassia* (alia manu nomen H. de Hassia deletum et substitutum « *Nicolai de Jawer* ») tractatus de presagiis demonum et diuinationibus et obseruacionibus supersticiosiis variis et diuersis », scr. a. 1429, f. 64.

« *Regula recte viuendi* »; inc. « *Hic introducuntur persone duorum uidelicet deflentis hominis et ammonentis rationis* » f. 78.

Adnotationes breues de re medica f. 79.

« *Effectus medicine* », i. e. carmina et sententiae praesertim scholae

Salernitanae; inc. « *Anglorum regi scriptis tota (?) scola salerni* » f. 79v.

« *Questio bona* »; inc. « *Utrum religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea que in regula* » etc. f. 82v.

Medicinalia lingua germanica f. 82v.

« *Octo causae quibus indicta est sacerdotibus castitas* »; inc. « *Nota octo de causis* » etc. f. 83.

« *Epistola quedam contra Sigismundum regem romanorum edita clanculo et per quemdam se non nominare volentem insinuata* »; inc. « *Dictat iuris naturalis equitas* » f. 84v.

« *Magistri MATHEI DE CRACOVIA episc. wormacien. oratio* » ad dominum n. I. Christum f. 85. — Sequuntur orationes ad d. n. I. Christum et sanctum patronum.

« *De predestinacione* »; inc. « *Multi fatui homines occupant se dicentes si non sim predestinatus* » etc. f. 86.

« *Imago vite secundum sem. Bonauenturam* ». Praescribitur: « *Iste tractatus . Imago vite vocatus || Efficiens causa cardinalis Bonauentura* » f. 86.

« *Laurea sanctorum* », sive kalendarium, metricè, scriptum anno 1429, cum brevi glossa inter lineas; inc. « *Cum sit necessarium sanctos invocare || Ut factorem omnium velint exorare* » f. 95v.

« *Tractatus de modo sermocinandi* »; inc. « *Oro ut caritas (etc.) ad ephc. I<sup>o</sup> cap. Omni operi omnique actioni* » f. 100.

« *Mag. HEINRICI DE HASSIA epistola exhortatoria ad vitam spiritualem* » f. 106.

« *Modus uiuendi per regulas* »; inc. « *Prima regula ad nobiles scabinos et potentes spectet ista* » f. 107v. — Sequuntur, f. 108v. argumenta librorum Vet. Test. inc. « *Sunt genus, Exo, Levi* » etc.

Carmen de virtutibus herbarum; inc. « *Vires herbarum describimus hic variarum* » f. 109.

« *Ordinatio etc.* », i. e. statutum D. decani ecclesiae wormaciensis pro ecclesia « *Montis ro.* » eiusdem dioecesis « *datum et actum in oppido Wimpinen.* », a. 1434, f. 110v.

EUGENII IV « *Bulla Indulgentiarum super festo Corporis Xpi* », dat. 7 k. Iun. a. 1433: « *Excellentissimum corporis* » f. 111.

« *GORGONII medici tractatus utilis de crisi et criticis diebus et pronosticacionum* » f. 112.

« *GORDONI (sic) tractatus de fluxibus* » f. 123.

« *Condempnacio Raciones et motiua reprobationum XLV articulorum Wycleff et sequacis sui Iohannis Hüß extractorum ex libris et ipsorum opusculis per doctores facta (sic)* »; inc. « *Substantia panis naturalis* » etc. f. 136. — Praecedit, f. 135v. carmen de Praga, Bohemia

et Wiclyffo; inc. « *Praga mater artium pregnans exultat* ». — Sequuntur, f. 141, adnotationes de peccato sodomitico, de ss. Eucharistia etc.

« Reformaciones existentium in concilio (Basileensi) late et publicate die Veneris XXIII Octobris »; inc. « *Admonet hec sancta synodus* » f. 142. — « Decretum sessionis pronunciatum die Iouis VI mensis Nouembris MCCCCXXXII in ecclesia Basiliensi » f. 143. — Sequuntur alia ad idem Concilium pertinentia.

MARTINI pp. V ad episcopum Wratislaviensem constitutio de censibus: « *Hodie siquidem* » (ex Regestis) « De diuersis formis li. III. fol. LIII » f. 144 v.

Sententiae variae, metricae; inc. « *Temporibus nostris quicumque placere laborat* || *Det capiat querat plurima pauca nichil* » f. 147 v.

De oratione dominica, « de cruce », de gaudiis in regno celorum, carmina varia; inc. « *Pater alme tuum nomen sit sanctificatum* » f. 148.

Carmen de visione Raphaelis archangeli instante divino iudicio; inc. « *Conceptum non valeo sermonem celare* » f. 148. — Sequitur « probacio priorum », i. e. sententiae ex S. Scriptura ad carminum superiorum argumenta pertinentes.

« De conflictu virtutum et uitiorum », carmen; inc. « *Vos qui sub cristo mundo certatis in isto* » f. 149.

De numeris; inc. « *Nota numerus cardinalis est iste* » f. 149.

De officio musarum, epigramma; inc. « *Clio gesta canens transacto tempore reddit* » f. 150.

De concordia rerum, epigramma; inc. « *Grata venus molli, pigro mora, vinea colli* » f. 150.

Sententiae metricae; inc. « *Qui doctori gratum semper praetendit honorem* » f. 150.

Regulae iuris canonici, metricae; inc. « *Crimina quos stringunt illis sacer ordo negatur* » f. 151 v.

« Nomina viginti quatuor seniorum - septem dormientium - septem martyrum »; inc. « *Noe, Abram, Ysaac* » f. 152.

(WIPPONIS) sententiae morales, metricae; inc. « *Decet regem discere legem* » f. 152.

Interpretationes de variis versuum generibus; inc. « *Retrogradi versus dicuntur qui retrogrado modo possunt legi* » f. 152 v.

Sententiae morales, metricae; inc. « *Pauper mantelle sine pilis et sine pelle* » f. 153 v.

« Expositio de octo beatitudinibus; inc. « *Beati pauperes (etc.) hic intellige quod uoluntarie pauperes* » etc. f. 158 v.

« Excerptum ex libro Bartholomei de apibus »; inc. « *Volo ut quicumque legerit hoc sciat me anno dni M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXXVIII<sup>o</sup> fuisse Parisius* » f. 158 v.



« *Figura pugne moralis* »; inc. « *Superbus - Despicio miseros cum dicor maximus heros || Humilis - Contempno dici dominus quia forcia uici* » f. 159.

Versus Sibyllae; inc. « *Iudicii signum tellus sulore madescit* » f. 159 v.

Epigrammata varia sine titulo; incipiunt: I « *Post multas gverras (sic) volucres uenere locuste* »: — II « *Anno milleno domini Xpique. triceno* »: — III « *O dux Alberte domini ruet ira super te* »: — IV « *Iustus ad occasum prudens uertatur ad ortum* »: — V « *Corpore de Xpi. nobis fluxere liquores* »: — VI « *Quatuor hec malus cedrus cypressus oliua* »: — VII « *Ut scriptura docet puluis gremius mulieris* » f. 159 v.

Epigrammata « *De pluvia* »; inc. « *Dic mihi caligia que sunt mortalia septem* »: — « *De nymbo* »; inc. « *Nimborum causam deponimus ecce seram* »: — « *De ymbre* »; inc. « *Scientia causarum super et nunc propositarum (?)* » f. 159 v.: — « *De yridi* »; inc. « *Postquam finiui que de imbribus ego sciui* »: — « *De grandine* »; inc. « *Nequis adhuc dubitet ratio que grandinis extat* » f. 160: — « *De tonitro (sic) et fulgure* »; inc. « *Humidus a terra fumus conscendit in alta* » f. 160 v.

« *Signa XV ante diem iudicii* », metricae; inc. « *Extollit mare prima dies sepelitque secunda (?)* » f. 160 v.

« *Hii (sic) sunt absolventi tantum ab episcopo* »; inc. « *Qui facit incestum deflorans ac homicida* » f. 160 v.

Carmina: De adventu domini; inc. « *Christus uenturus nos ducat ad ethera purus* »: — « *In nativitate domini* »; inc. « *Stirps florem solem sydus parit innuba prolem* »: — « *In epiphania domini* »; inc. « *Abluitur mundus mundetur ut a fece mundus* »: — « *In capite ieiunii* »; inc. « *Plangere nos digne fac vicia Xpe. benigne* »: — « *In passione dni.* »; inc. « *Vincens in ligno nos salvet ab hoste maligno* »: — « *In resurrectione dni.* »; inc. « *Xpus. surrexit vitam de morte reuexit* »: — « *In ascensione dni.* »; inc. « *Nos pie Xpe. velis tecum coniungere celis* »: — « *In festo penthecostis (sic)* »; inc. « *Munera dans lingue descendit flamen ab igne* »: — « *In dedicatione ecclesie* »; inc. « *Templa dei vivi faciat nos gratia Xpi.* » f. 161: — « *In festo see. crucis* »; inc. « *Vincere malingnum (sic) fac per crucis utique signum* »: — « *De virgine Maria gloriosa* »; inc. « *Spernere terrena fac nos o virgo serena* »: — « *In natiuitate uirginis Marie gloriose* »; inc. « *Nos hodie nata benedicat virgo beata* »: — « *In natiuitate sci. Iohannis Baptiste* »; inc. « *Dilectus Xpi. nos protegat a nece tristi* »: — « *In festo scorum. Petri et Pauli apostolorum* »; inc. « *Nobis o petre spem uite confer in ethre* »: — « *De sca. trinitate et omnibus sanctis* »; inc. « *Virtutum munus det nobis trinus et unus* »: — « *In festo sci. Michahelis (sic)* »; inc. « *Nos deus in celis precibus nos salva Michahelis (sic)* »: — « *De sco. Iohanne Baptista* »;

inc. « *Nostrum reatum tu dilue maxime vatum* » f. 161 v. — « De sco. Petro apostolo »; inc. « *Petre tu rege nos instrue nouaque lege* »: — « De sco. Paulo apostolo »; inc. « *Doctor egregie prece tua nos quoque rege* »: — « De sco. Andrea apostolo »; inc. « *Andrea care nos Xpo. reconciliare* »: — « De sco. Matheo (sic) apostolo et evangelista » (monostichum): « *Nos in lege dei confirma dogma mathei* »: — « De omnibus apostolis »; inc. « *Ignis dei pleni prece nos saluent duodeni* »: — « De sancto Laurentio martyre »; inc. « *Subueni Laurenti tua gratia cuncti (sic) merenti* »: — « Item de apostolis »; inc. « *Vos Xpi. testes uiciorum pellite pestes* »: — « De martyribus »; inc. « *Martires honesti nos saluent hoste ac funesti* »: — « De sco. Achacio et sociis suis »; inc. « *Agmina cum ista (sic) nos saluet dux agonista* »: — « De sco. Lamberto »; inc. « *Sante (sic) Lamperte tua vita lucis aperte* »: — « De sco. Rudberto episcopo »; inc. « *Nobis Rudberte laxentur crimina per te* »: — « De sco. Martino episcopo »; inc. « *Sancte Martine seruire nos tibi sine* »: — « De sco. Nicolao »; inc. « *Nos tibi seruire Nicolae fac tibi mire* » f. 162: — « De sco. Benedicto abbate »; inc. « *Protege nos rege Benedicte pater egregie (sic)* »: — « De sca. Maria Magdalena »: inc. « *Nos iungat ipsi uera apostola Xpi.* »: — « De sca. Katherina »; inc. « *O Katherina nos salua de mala ruina* »: — « De sca. Margareta »; inc. « *O margareta da nobis tempora leta* »: — « De sca. Ursula » (monostichum): « *Sacris uirginibus nos iungat in ethere Xpus.* »: — « De sca. Maria in assumptione »; inc. « *Sordes seruorum prece dilue flosque piorum* »: — « In natiuitate sce. Marie » (monostichum): « *Nos hodie nata conseruet uirgo beata* »: — « In annunciacione sce. Marie »; inc. « *Fert paranymphus aue per aue nos liberet aue* »: — « De sca. Maria uirgine et matre gloriosa »; inc. « *Virgo serena confer amena gaudia plena* »: — « De dno. nro. Ihu. Xpo. »; inc. « *O Xpe. digne nobis succurre benigne* »: — « De sca. Dorothea »; inc. « *In quacumque domo semper ueneratur ymago* » f. 162 v.

Epigramma sine titulo; inc. « *Hic pauper erit qui ebrietatem querit* » f. 162 v.

Carmina inscripta: « *Septem uirtutes* »; inc. « *Caritas humilitas paciencia largitas atque* »: — « *VI peccata in Spiritum Sanctum* »; inc. « *Inuidus impugnans desperans impenitensque* »: — « *VII peccata dyabolica* »; inc. « *Mendax siue lusor errans tepidus uagus usor* »: — « *Peccata ad dominum clamantia* »; inc. « *Ad dominum clamant de terra crimina quinque* »: — « *Nouem aliena peccata* »; inc. « *Iussio consilium consensus peralpo (sic) recursus* »: — « *VII dona Spiritus Sancti* »; inc. « *Pietas consilium sciencia fortitudoque* »: — « *Sex opera misericordie corporalia* » (monostichum): « *Visito cibo poto tectum do colligo curabo (sic)* »: — « *VII opera misericordie spiritualia* » (monostichum):

« *Corriquo parco precor doceo rogo consulo solor* »: — « *Deus* » (loquitur): « *Decipit immundos eos cum fallacia mundus* » etc. — « *Angelus* »: « *Si qui transitis subsistere forte velitis* »: — « *Mortui* »: « *Vivendi metas hominis non preterit etas* » f. 163.

Sententiae metricae sine titulo; prima inc. « *Os habet in corde sapiens cor stultus in ore* » f. 163.

« *Versus de Agnus dei et benedictio a papa* »; inc. « *Balsamus et munda cera cum crismatis unda* » f. 163.

« *Versus de die parasceves* »; inc. « *Salve festa dies quae uulnera nostra coherces* » f. 163.

« *De nominibus feriarum* »; inc. « *Prima dies phebi sacrata nomine fulget* » f. 163.

Signa leprosi (distichum); inc. « *Ulcera vox rauca corruptus anhelitus algor* » f. 163.

« *Versus extracti de libro infantie saluatoris quo narratur quale opus beata virgo in templo exercens operaretur* »; inc. « *Textrinum opus et acu consuere uel nere* » f. 163 v. — Sequuntur alii versus de beata Virgine.

Carmen de vanitate rerum humanarum; inc. « *Si dominor terre super omnia regna* » etc. f. 163 v.

« *De testibus* », metricae; inc. « *Etas condicio sexus discretio fama* » f. 163 v.

« *De iniquo statu mundi* », metricae; inc. « *Mundus in antifrasim putei iordane remensus* » f. 164.

Sententiae metricae; inc. « *Cursus fatorum nescit mens ulla uiro- rum* » f. 164.

« *Ordo consecrationis ecclesie* »; inc. « *In primis ecclesia prepa- randa* » f. 164.

Carmen de « *esse* »; inc. « *Esse quod est ex se deus est per quem datur esse* » f. 164 v.

Sententiae metricae; inc. « *Cuius eges semper rem nulli tradere debes* » f. 164 v.

Salutatio ad beatam Virginem, metricae; inc. « *Aue mater qua natus est orbis pater* » f. 164 v.

De meretrice, epigramma; inc. « *Os mulier mordens pede fodens pallia pandens* » f. 164 v.

Sententiae metricae; inc. « *In patria natus non est propheta vocatus* » f. 164 v. Continuantur f. 169.

« *Tractatulus de regimine vite* »; inc. « *Si vis in spiritu profi- cere* » f. 165. — Sequuntur, f. 167, sententiae de eodem argumento, adscriptis nominibus « *Hermetis philosophi* », « *Homeri* » et « *Fulgentii* ».

« Utiles consideraciones confessionis edite etc. Cancellario dne. nre. parisiens. viro et magistro doctissimo (sic in omnibus) »; inc. « *Etsi virtus* » etc. f. 167 v.

« Regule iuris libri Sexti Bonifacius VIII<sup>us</sup> (sic) »; inc. « *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri* » f. 169 v.

Proverbia metrica, lingua latina et germanica; inc. « *Multa peroptata transibunt tempora grata* » f. 170.

« D. FRE(DERICI?) DE SENIS tabula super questionibus disputationibus et conciliis » f. 171.

« P(ETRI) episcopi urbeuetani tractatus de canonica porcione », fine mutilus, f. 179.

720. Chart. in 12, saec. XV, fol. 117.

De peccatis; inc. « *Tres sunt species infidelitatis, videlicet Paganismus* » etc. f. 1.

« Dni. ANTONII (l. Antonini) ep. florentini interrogatorium confessionale » f. 13.

« Rectoris maioris et priorum de congregatione b. Mariae de Frisonaria lucanae diocesis (sic) ordinis sci. Augustini » supplicatio, cum rescripto apostolico quo conceditur facultas absolvendi etc. f. 110 v. — Sequuntur, f. 112, « *Forma absolutionis in articulo mortis ordinata in concistorio apostolico* », et f. 112 v. « *Forma absolutionis extracta de formulario dni. pp. pro fratribus habentibus plenariam indulgentiam in articulo mortis* ».

(S. Antonini archiep. florent.) « *liber secundus in quo continetur in quibus locis sit penitentia in toto corpore iuris a canone diffinita* » f. 113.

721. Chart. in 4, scriptus anno 1514, in duas partes divisus, fol. 1-158, 159-316.

(GUILIELMI DE SANCTO AMORE) « *collatio catholice et canonice scripture. Ad instructionem et preparationem simplicium fidelium Xpi. contra pericula imminencia ecclesie generali per ypocritas pseudopredicadores et penetrantes domos, et ociosos et curiosos gyrovagos (sic in omnibus)* » f. 1.

Adnotatio historica brevis de Guilelmo de sancto Amore, manu saec. circit. XVI; inc. « *Guilelmi de scto. amore collectio* » etc. f. 316 v.

722. Chart. in 4, scriptus annis 1475 et 1476, fol. 475.

(PHILIPPI DE PERGAMO) « *Postilla Kathonis seu speculum regiminis* »: « *pars prohemiales* » f. 1, « *pars prosaicalis* » f. 66, « *pars metricalis* »

f. 180. — Sequuntur, f. 414, « Tabula », f. 466 v. « addiciones ad predictam » (tabulam), et f. 469 v. « hystorie et exempla huius libri prohemialis », i. e. ex libro primo prooemiali operis suprascripti.

723. Membr. in 8, saec. XIII vel XIV, fol. 168.

(GUILIELMI DE SANCTO AMORE) « collectio catholice et canonice scripture ad instructionem et preparationem simplicium fidelium X<sup>1</sup>. contra pericula imminencia ecclesie generali per ypocritas pseudopredicatores et penetrantes domos et ociosos et curiosos et gerouagos (sic in omnibus) » f. 1. Multa omissa a librario suppleta manu saec. XVI. Tabula f. 166. — Sequitur f. 167 v. et 168 r. fragmentum in quo agitur de « ambitiosis », eadem manu; inc. « *Opes itaque cupidus congregat et avarus conseruat* ».

724. Chart. in 4, saec. XV, fol. 272.

« Mag. BARTHOLOMAEI CARTHUSIENSIS » tractatus de ecclesia sponsa Christi « presentatus magistro Heinrico de Diest sacre theol. professori in Leodio anno domini 1446 » f. 1.

De auctoritate summi pontificis et universalis concilii; inc. « *Confiteor tibi celi pater et terre quia abscondisti hec a sapientibus (etc.) hec sunt verba unigeniti filii dei* » f. 47. — Sequitur, f. 79, « addicio ad precedentem tractatum »; inc. « *Pro iusticia agonizare (etc.) Quemadmodum 2<sup>o</sup> de officiis tuius loquitur* ».

« Declaracio circa propositiones prime (secundae et tertiae) cedulae superius annotatas que mihi presentabantur » (de auct. conc. et pontificis); inc. « *Consideracio prima que respicit primam propositionem superius positam* » f. 92.

Expositio in libros sententiarum Petri Lombardi; inc. « *Venerabiles patres (etc.) dum profundissima sacri voluminis sententiarum petri lombardi mysteria* » etc. f. 108.

De eodem argumento adversaria f. 142.

Sermones in evangelia « ex lectura Plate (Francisci de Platea?) ad pauca resoluta »; inc. « *In principio erat verbum. Iste est liber evangeliorum (sic) beati iohannis* » f. 144.

« SYMONIS de Cremona sermones » de tempore (interrupti f. 208) f. 186.

« Sermones (de tempore) collecti ex Nicolao Dinckelspuel » f. 209.

« REMIGII glossa super prima edicione Donati grammatici anno domini 1438 Heydelberge » f. 222.

« De dedicacione Ecclesie » homilia; inc. « *Recte festa ecclesie colunt qui se ecclesie filios esse cognoscunt* » f. 258.

« Ven. BEDE pbri. » homiliae tres de lectione s. e. sec. Lucam: « I. i. t. Ingressus Ihus. perambulabat Iericho » f. 259.

« Eiusd. omelia » de lect. s. e. sec. Lucam: « I. i. t. (etc.) Non est arbor bona » f. 262 v.

« Eiusd. (Maximi Taurinensis?) omelia » de lect. s. e. sec. Ioannem: « I. i. t. facta sunt encenia »; inc. « *Audiuimus ex lectione fratres mei quia facta sunt encenia* » f. 267 v.

725. Membr. in 8, saec. XV, fol. 344.

« Fr. MICHAELIS carthusiani de regimine principum ». In calce codicis legitur: « Est autem hoc opusculum compilatum in domo sce. Marie ordinis Carthus. prope Pragam, per fratrem Michaellem Vicarium eiusdem domus, ac per eum traditum correctioni honorabilis uiri Mgri. Nycolai de Gubyn professoris sacre theologie qui ipsum ad preces compilatoris de uerbo ad uerbum perlegit iuuante eum reuerendo uiro mgro. Iohanne Yseneri bacalario sacre theologie ad quorum eciam iudicium compilator quedam in dicto opusculo correxit et immutauit. Anno dni. M. CCC LXXXVII. ».

726. Membr. in 4, saec. XIII vel XIV, fol. 88.

« Fris. EGIDII (DE COLUMNA) liber de regimine principum » f. 1.

« Tituli cardinalium », manu saec. XIV; inc. « *Bolonien. Dno. G(uidoni) Portuensi et sce. Rufine (a. 1350-1373) - Urgelon. Dno. N(icolao) Tusculano episcopo cardinali (a. 1361-1368)* » (sequuntur cardinales octo coaeui) f. 88 v.

727. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 156.

« Dni. EGIDII (DE COLUMNA) tractatus de regimine principum » f. 1.

De natura sensus communis, tractatus imperfectus; inc. « *Incendentes (sic) perscrutari de natura sensus communis* » f. 156.

728. Membr. in 12, saec. XIV, pagg. a-b 361.

Adnotatio brevis de venenis et de vitiis; — Versus de computo temporis; inc. « *X super L duo et superaddas milia quinque* »; — Excerptum ex « Ysidoro ethimologiarum libro VIII, capite III, de generibus magorum »; omnia manu saec. XV, pag. b.

Tractatus inscriptus manu saec. XV: « de regimine principum » (et qualiter admonendi sunt omnis conditionis homines); inc. « *Qualis autem debet esse princeps vel rex describit dominus* » p. 1.

« Tractatus bonus religiosorum » (titulus manu saec. XV); inc. « *Enumeratis modis quibus predicator potest conferre* » etc. p. 310.

Interpretatio vocabulorum (praesertim de re medica); inc. « *Basiliscus graece interpretatur regulus* » p. 360.

« De penis purgatorii », adnotatio manu saec. XV; inc. « *Q. ignis purgatorii est ignis corporalis* » p. 361.

\*729. Codex redditus a. 1815 bibliothecae Universitatis Heidelbergensis; v. Wilkenium (p 295).

730. Chart. in f. scriptus annis 1506 et 1507, fol. 161.

« IOANNIS TRITEMII abbatis spanhemensis (sic) ac postea sancti Iacobi herbipolensis liber epistolarum spanheimensium ultimus scriptus manu eius propria et completus anno christianorum Mill. D. VI Decembris XXVIII die » f. 1.

Eiusdem « liber epistolarum herbipolensium primus scriptus manu eius propria et completus XVI die mensis octobris » a. 1507, f. 96.

731. Membr. in f. saec. XIV, fol. 320; picturis illustratus.

DIGESTUM VETUS, (i. e. Pandectarum pars prima a lib. I ad XXIV tit. 2), cum apparatu, i. e. glossa quae inc. « *Imperator quia imperat subditis sic dicitur* »; glossae aliae varia manu. — Praeunt, f. 1 v. « Rubrice tocus ff. veteris ».

Adnotationes iuridicae varia manu saec. XIV et XV, et de codice empto a « Cosma de Veronisiis de Sicilia » a. 1339 (cf. f. 320) f. 319 v.

Fragmentum CODICIS IUSTINIANI imp. manu saec. XIII, cum glossis, adhibitum in compact. codicis, f. 320.

732. Membr. in f. saec. XIV, fol. 289.

DIGESTUM VETUS, cum eadem glossa. Codex initio et fine mutilus; inc. a § Qui in adoptionem tituli 7 libri I; clauditur § Mulier bona sua tit. 3 libri XXIII. In marginibus glossae aliae varia manu.

In calce codicis, fragmentum in 4, manu saec. XV, expositionis in Pandectas, praesertim in lib. XIX tit. 1, De actionibus empti et venditi, f. 288 et 289 chart.

733. Membr. in f. saec. XIV, fol. 361; picturis illustratus.

DIGESTUM VETUS, cum eadem glossa. In marginibus et f. 360 glossae aliae varia manu.

Index titulorum, ordine alphabetico, f. 360 v.

« Rubrice digesti veteris » f. 361.

Adnotationes anonymi possessoris codicis de filiis natis a. 1390, 1391, 1392 et 1393; item alia varia manu possessorum saec. XIV et XV, f. 361 v.

734. Membr. in f. saec. XIV, fol. a 342; picturis illustratus.  
 DIGESTUM VETUS, cum eadem glossa. — Praeit, f. a, index titulorum ordine alph. Toto codice in marginibus, et f. 342, glossae et adnotationes varia manu.
735. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 286.  
 Fragmentum CODICIS IUSTINIANI imp. f. 1 adhibito in compactione libri.  
 DIGESTUM VETUS, cum eadem glossa, f. 2. — Toto codice glossae aliae in marginibus varia manu.  
 Fragmentum libri I Decretalium GREGORII IX f. 286 adhib. in compactione codicis.
736. Membr. in f. saec. XIV, fol. 330; initiales litterae depictae forcibus ablatae.  
 DIGESTUM VETUS, cum eadem glossa; pauca desunt in fine. Glossae in marginibus aliae varia manu.
737. Membr. in f. saec. XIII, fol. 178.  
 DIGESTUM VETUS, cum brevi glossa; ultimus liber fine carens pertingit ad tit. I fr.: Papinianus recte reputabat. Initio et fine codicis folia plurima corrupta.
738. Membr. in f. saec. XIV, fol. 247.  
 DIGESTUM VETUS, cum glossa eadem quae in codd. 731 et seqq. Breves glossae aliae varia manu in marginibus.
739. Membr. in f. saec. XIV, fol. 330.  
 DIGESTUM VETUS, cum glossa eadem fere quae in cod. praec.
740. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 169.  
 DIGESTUM VETUS, cum eadem glossa, fine mutilum, usque ad leg. 6, lib. XVII tit. 1. — Folia 3, 4, 15-34 chartacea sine scriptura.
741. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 160.  
 DIGESTUM VETUS, cum glossa, initio mutilum; inc. a lib. III, tit. 4, fr. 2.



742. Membr. in f. saec. XIV, fol. 260; picturis illustratus.

INFORTIATUM, (i. e. Pandectarum pars secunda a tit. 3 lib. XXIV usque ad lib. XXXVIII), cum apparatu seu glossa quae inc. « *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur s. de iure dotium* ».

Tabula titulorum f. 258 v.

« Rubrice infortiati », ord. alphabetico; — Versus de mensibus; inc. « *Ianuarius - iam prima dies sic tenebit* », varia manu, f. 260.

Glossae breves, varia manu, de testamentis et de poenis iudiciali et arbitraria, f. 258 et 260 v.

743. Membr. in f. saec. XIV, fol. 244.

INFORTIATUM, cum glossa fere eadem, fine mutilum, usque ad leg. 6: *Si emancipatus filius* tit. 4 lib. XXXII. Glossae aliae in marginibus varia manu.

744. Membr. in f. saec. XIV, fol. 229; picturis illustratus.

INFORTIATUM, cum glossa ead. quae in cod. praec. Breves glossae aliae varia manu in marginibus.

Tabula titulorum f. 229.

Fragmentum glossae in leg. 2 Codicis Iustiniani imp. lib. I, tit. 17, f. 229 v.

745. Membr. in f. saec. XIV, fol. 229.

INFORTIATUM, cum glossa fere eadem, f. 4. In marginibus breves glossae aliae varia manu. — Praeunt, f. 1, adnotationes de codice empto Paduae a. 1457 « *precio ducatorum XXIX* », et iuridicae in glossas suprascriptas.

Tabula titulorum f. 229.

746. Membr. in f. saec. XIII, fol. a-c 232.

INFORTIATUM, cum glossa fere eadem. Breves glossae aliae varia manu in marginibus. — Praeunt, f. a, varia manu saec. XIV, adnotatio de iure civili etc.: — Feriale pene deletum: — f. b (chart.) Tabula titulorum Infortiati, manu saec. XV: — f. c Sententiae breves e iure civili et Sacra Scriptura, manu saec. XIV. — Adnotatio de pecunia mutuo data.

« *De impedimento voti* » et « *qua aetate possit votum sollempnizari*, manu saec. XIV, f. 230. — Fragmentum diplomatis pontificii collationis cuiusdam beneficii factae « *... de Sicu... lla* » canonico lingonensi, manu saec. XV, f. 231 v.

747. Membr. in f. saec. XIV, fol. 227; picturis illustratus.

DIGESTUM NOVUM, (i. e. Pandectarum pars tertia a lib. XXXIX ad L), cum glossa quae inc. « *De operis novi nunciacione. Sed cum . VII . sint patres* » etc. In marginibus glossae aliae varia manu.

748. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 190.  
 DIGESTUM NOVUM, cum brevi glossa. Item breves glossae aliae in marginibus varia manu.
749. Membr. in f. saec. XIV. fol. 329.  
 DIGESTUM NOVUM, cum apparatu, i. e. glossa eadem quae in cod. 747. Praeunt, f. 1. « Rubrice » (ord. alphab.) et, f. 2 v. tabula titulorum.
750. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 179.  
 DIGESTUM NOVUM, cum glossa fere eadem quae in cod. praec. initio mutilum; inc. a leg. 2, lib. XXXIX, tit. III.  
 S. « BERNARDI doctoris epistola (de re familiari gubernanda) ad Raymundum gloriosum militem et dominum castris Ambroxii » f. 178 v.  
 Tabula doctrinae iuris civilis ex digesto; inc. « Quot modis dic(itur) iustitia » (fine fere deleta) f. 178 v.  
 Adnotationes variae pene deletae et versus lingua vulgari provinciali et italica, manu saec. XIV, f. 179.
751. Membr. in f. saec. XIII et XIV, fol. 254.  
 DIGESTUM NOVUM, cum glossa eadem quae in cod. 749, manu saec. XIII. Breves glossae aliae varia manu f. 9.  
 Leges aliquot digesti « repetite et collecte »; adscripta nomina glossatorum: « M. Sy., Dynus de Muxello, Od., M. Sul., Nicholaus de Matr. (Matarellis?), M. Ny., Ia(cobus) de Beluiso, Petrus de Bellapertica » f. 1-8, 245-254. — Tabula harum legum fere deleta legitur f. 1 in calce.
752. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 199.  
 DIGESTUM NOVUM, cum eadem glossa (manu saec. XIV), initio mutilum; incipit a leg. 44, lib. XXXIX, tit. 2. Toto codice glossae aliae et adnotationes varia manu.  
 Adnotationes variae de iure civili; de « estagio et absenciis » anonymi cuiusdam; de filio « dni. Alberti » nato a. 1392, f. 198 v.  
 Adnotatio de decimis quas « Spinabellus hab(et) in Trignano », manu saec. XIV, f. 199.
753. Membr. in f. saec. XIII, fol. a-b 216.  
 DIGESTUM NOVUM cum eadem glossa. Praeit f. a-b tabula titulorum. Toto codice in marginibus glossae alia manu.  
 Consuetudines feudorum (pagina tantum, reliqua desunt); —

« Ad extrahendum quadrellum de carnibus vel osse alicuius » (exorcismus), f. 215 v.

Sententiae etc. varia manu saec. XIV, lingua latina et vulgari italica, i. e.: Adnotationes: « *Ait Fabricius de Lambertaciis bononiensis: homo no prize anchora* » etc.: — « X praecepta dei »: — Regiones civitatis Mediolanensis et in unaquaque numerus domorum: — Carmen lingua vulgari italica; inc. « *O gentile madona pietate da audire le pene e lo martire che per uu sento* »: — Exorcismi et praecepta medicinalia; inc. « *Si quis habet male de fianco est hec experta oratio* »; — « Soneti (sic) » lingua italica vulgari; inc. « *Arbor che fruto porta senza flore* »: — Definitiones rhetoricae; inc. « *Defnitio sic describitur* » f. 216.

Excerpta ex legibus Langobardorum et Francorum (Karoli magni, Othonis, Pippini, Lotharii, Conradi); — « Sibilla ait » (dodecastichum); inc. « *Gallorum leuitas Germanos iustificabit* »; — « Philosophus (sic) in libro diffinitionum » (excerpta); inc. « *Mulier est hominis confusio insaciabilis bestia* » etc.; — Breve chronicon mediolanense, placentinum etc. ab a. 1307 ad a. 1311 (in marginibus); — Sententiae morales breves lingua vulgari italica; inc. « *Lo homo non cognosse piennamente lo bene se non sustene in prima male* »; — De Urbe, epigramma: « *Roma uetus ueteres dum te rexere quirites* » etc. — Omnia manu varia saec. XIV, f. 216 v.

754. Membr. in f. saec. XIII, fol. 209.

DIGESTUM NOVUM cum glossa fere eadem; folia 1-15 suppleta manu saec. XIV vel XV. Glossae aliae varia manu toto codice.

« Oratio sancti Astini (l. Augustini) ad sapientiam postulandam; — Adnotationes breves de iure civili et « super eo quod queritur an instrumentum quod prima facie aparet (sic) a publica manu confectum probet » f. 209.

755. Membr. in f. saec. XIII, fol. 78.

DIGESTUM NOVUM usque ad lib. XLVIII, tit. 18 initio. Reliqua desiderantur. Glossae in marginibus varia manu.

756. Membr. in f. saec. XIV, fol. 186.

DIGESTUM NOVUM, cum brevi glossa.

Fragmenta INSTITUTIONUM IUSTINIANI imp. tit. 17 lib. II, cum glossis, f. 185, 186.

757. Membr. in f. saec. XIV, fol. a-e 234; picturis illustratus.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum glossa eadem fere quae in

cod. 759. Glossae aliae toto cod. varia manu. — Praeunt f. *a, b* chartaceis, index rerum ordine alphabetico: — f. *c* Tabula titularum: — f. *d* Ead. tabula imperfecta: — f. *e* Ad conficiendum atramentum, lingua italica; inc. « *Toy iij mece de uino* » etc.: — Adnotationes de iure civili.

758. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 271.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum eadem fere glossa, initio et fine carentis, a tit. 8 libri I ad leg. 9, tit. 49 lib. IX. In marginibus glossae aliae varia manu.

759. Membr. in f. saec. XIV, fol. *a* 212; picturis illustratus.

Adnotationes de iure civili f. *a*.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum « apparatu a domino Accurssu (sic) compilato fideliter ». Glossae aliquot varia manu in marginibus. Tabula titularum f. 211.

760. Membr. in f. saec. XIV, fol. *a-b* 311.

Fragmentum Codicis Iustiniani imp. f. *a*.

Adnotatio de cod. empto pretio ducatorum aureorum XII a. 1453 Patavii f. *a*.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum glossa eadem quae in cod. praec. Item glossae aliae varia manu. Tabula fere deleta f. 311.

761. Membr. in f. scriptus anno 1255, fol. 287.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum brevi glossa. Initio et fine folia lacera et mutila. Toto codice glossae aliae varia manu.

762. Membr. in f. saec. XIII, fol. 227.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum eadem fere glossa quae in cod. 759, f. 3. In calce carmen; inc. « *Istic est suus codicis - Qui instrumentum iudicis - Est sicut mucro militis* ». Toto codice glossae aliae varia manu.

Fragmenta CODICIS IUSTINIANI imp. sine glossa f. 226 et 227.

763. Membr. in f. saec. XIV, fol. 146.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri IX, cum brevi glossa. Sequitur, f. 145, tabula manu saec. XV. Toto cod. glossae aliae varia manu.

Fragmentum actorum litis iudicialis in causa possessoria, lingua gallica, manu saec. XIV, adhibitum in compactione codicis, f. 146 v.

764. Membr. in f. saec. XIII, fol. 94.

CODEX IUSTINIANI imp. cum brevi glossa, initio et fine mutilus, a tit. 41 lib. IV ad tit. 34 lib. VIII.

765. Membr. in f. saec. XIV, fol. a 301; picturis illustratus.

« Rubricae Codicis (Iustiniani imp.) » librorum X, XI et XII, f. a.

INSTITUTIONUM IUSTINIANI imp. libri quatuor f. 1.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri X, XI et XII f. 79.

AUTHENTICAE seu Novellae Constitutiones f. 149.

(FRIDERICI II) « Consuetudines usuum feudorum »; in calce subiungitur: « De statutis et consuetudinibus contra libertatem ecclesie editis » (tollendis, Friderici II constitutio) f. 274.

766. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. a 273.

Annotationes philosophicae et iuridicae varia manu f. a.

Legislatores et Romanorum imperatores usque ad Henricum IV; inc. « *Moses gentis ebrae, primus legem tulit diuinam et sacris litteris explicauit* » f. a.

Tabula titulorum Institutionum f. a v.

INSTITUTIONES IUSTINIANI imp. f. a v.

« Hec sunt pretorie actiones que in istis XIII ordinibus sunt notate » f. 63. — « Hec sunt civiles actiones; sunt XVIII circuli » f. 64.

AUTHENTICAE seu Novellae Constitutiones f. 65.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri X, XI et XII f. 188 v.

« Constitutiones FRIDERICI (II) »: I De feudis non alienandis (Cons. feud. tit. 55 lib. II): II De pace componenda (Cons. feud. tit. 53 lib. II): III De statutis et consuetudinibus contra ecclesiae libertatem abrogandis f. 249.

« Tituli Autenticorum » f. 250.

« Rubrice usus feudorum » f. 250.

Consuetudines feudorum; Rubrica ultima inscripta: « De noua fidelitatis » (forma), imperfecta, f. 251.

Totus codex cum glossa; item glossae aliae varia manu.

767. Membr. (praeter folia b-d chart.) in f. saec. XIV, fol. a-d 288; picturis illustratus.

Tabula titulorum Institutionum Iustiniani imp. f. a v.

« Tituli institutionum » ord. alphabetico f. b.

« Rubrice Autenticorum » ord. alphabetico f. b v.

« Tituli trium librorum C(odicis, i. e. X, XI et XII) » ord. alph. f. c.

« Rubrice feudorum » ord. alph. f. *dv*.

INSTITUTIONES IUSTINIANI imp. f. 1. — In calce: « De raptu uirginum vel uiduarum », i. e. Codicis Iustiniani lib. IX tit. 13, f. 78 v.

AUTHENTICAE seu Novellae Constitutiones f. 80. Praeit, f. 79 v. tabula titulorum.

« Consuetudines feudorum » f. 207; sequitur constitutio Frederici (I) imp. mutila.

CODICIS IUSTINIANI imp. libri X, XI et XII f. 227; praemissa est, f. 226 v. tabula titulorum.

Totus codex cum glossa.

768. Membr. in f. saec. XIV, fol. 68.

INSTITUTIONES IUSTINIANI imp. cum glossa.

769. Membr. in f. saec. XIII, fol. *a* 59.

Fragmentum glossarum de iure civili f. *a*.

« Boa....magistri versus », i. e. sententiae iuris, metricae; inc. « *Arrogo qui suus est sed habet meus esse* » f. *av*.

INSTITUTIONES IUSTINIANI imp. sine glossa, f. 1. Sequitur tabula titulorum.

« Mag. ARNULPHI canonici par(isiensis) summa que appellatur *Ut nos minores super processu ordinis iudiciarii* », imperfecta, f. 58 v.

Carmen de beata Virgine; inc. « *Est tua let(i)tia simplex virgo Maria* » f. 59 v.

« Ad effugiendum morbum caducum primo infirmus confiteatur peccata sua » etc. f. 59 v.

770. Membr. in f. saec. XV, fol. 310; picturis illustratus.

INSTITUTIONES IUSTINIANI imp. sine glossa f. 1. Sequitur, f. 204, tabula titulorum.

Argumenta Institutionum, metricae; inc. « *Iusti. et iure. Ius. natu. Iure persona* » f. 204 v.

« Regule Iuris » (canonici); inc. « *Iohannes Crisostomus. Omnis res per quascumque causas nascitur* » etc. imperfectae, f. 206.

« Regule Iuris » canonici; inc. « *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri* » f. 207 v.

De regulis iuris civilis, (i. e. Pandectarum lib. L, tit. 16); inc. « *Regula est que rem que est breuiter enarrat* » f. 212.

De significatione verborum in iure civili; inc. « *Verbum hoc si quis tam masculos quam feminas complectitur* » f. 226.

« Consuetudines feudales » f. 252; sequitur: « De statutis et consuetudinibus contra libertatem ecclesie editis » (abrogandis, constitutio Friderici II).

771. Membr. in 8, saec. XII, fol. 92.

INSTITUTIONES IUSTINIANI imp.

772. Membr. in f. saec. XII, fol. a-b 93.

Fragmenta Pandectarum iuris civilis f. a, b, et 92, 93 adhibitis in compactione codicis.

« Legis longobardorum » libri tres, cum glossa inter lineas et in marginibus, f. 1.

LOTHARII imp. « lex edictalis » de feudis non alienandis (i. e. Consuetudinum feudorum lib. II tit. 52 § 1) f. 83 v.

FRIDERICI II imp. constitutio de feudis non alienandis (lib. II Cons. feud. tit. 55) f. 84.

Tractatus inscriptus: « instrumentum iuris »; inc. « *Cum inter cetera intuenti genera solam cupiditatem scribendi optimam esse intuenti rationem existimare* » etc. f. 85 v.

Glossa in titulum de successione: Omnis parentela; inc. « *Omnis parentela (etc.) hic liber semper fuit est et erit inter causidicos contentio. Set haec principaliter inter baiargadam et bonfilium fuit intentio* » f. 90.

Excerpta ex Pandectis f. 91.

Breve chronicon de rebus gestis Florentinorum varia manu et sine ordine ab anno 1110 ad a. 1173; inc. « *(A. d.) millesimo centesimo tricesimo (sic) quinto decima klds. nouembris florentini superauerunt castelum q. uocatur monteboni* » f. 91 v. — Insertum est initium carminis lingua vulgari; inc. « *In nomine patris (etc.) nelia telia in ripa de mari* ».

773. Membr. in 12, saec. X, fol. 57.

Leges Ripuariae f. 1.

Capitularia (a. 803) inscripta: « *Noua legis constitutio KAROLI imperatoris qua (sic) in lege ribuaria mittenda est* » f. 48: — « *Capita quae in lege salica mittenda sunt* » f. 51: — « *Iussio imperatoris* », fine carens, f. 55 v.

774. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 58.

« *Liber statutorum et legum Venetorum illustris IACOBI TEUPULI incliti ducis Venec.* ».

775. Chart. praeter folia aliquot membr. in 8, saec. XVI, fol. *a-k* 363.

Tabula cod. ord. alphabetico f. *a-i*.

« Insignia ornatiss. (etc.) quondam Ioannis Obernburgensis praestantis imp. Consil. et Secretarii XXXVII... » f. *kv*.

Collectio formularum Cancellariae Imperialis inscripta: « Bullae aureae imperiales, - Privilegia calcographorum (citantur Ioannes Soter, Valerius Curio, Petrus Apianus, alii), - Regalia, - Litterae *vidimus*, - Instrumenta et documenta, - Missivae » etc. Insunt: Alberti archiep. Maguntini, « Bertholdi iudicis » imp., Blancae Mariae reginae romanorum 1495, Brunonis ep. Spirensis, Caroli V, Clementis VII ad Carolum V imp.: « *Digna consideratione* », Conradi (?), « Erasmi » Roterod., Eugenii (pp. IV) ad Palaeologum: « *Laetentur coeli* », Friderici imp. a. 1484, Georgii Comitis palatini, Georgii « Lubucen. et Ratzenburgen. » episcopi, Georgii Marchionis Brandeburgen. 1548, « Hartmanni Mauri doctoris imperialis », Henrici imp. a. 1019, Henrici III a. 1090, « Ioannis Schonraid » sedis apost. protonot., Iuliani card. s. Sabinae, Karoli II imp. rom., Maximiliani imp., « Protestatio cesaree maiestatis (Carol. V) coram Papa et Cardinalibus publice facta contra regem Franciae » (typis impress. saec. XVI), « Raymondus card. S. M. Novae », « Rudigeri Nemetensis episcopi », Sigismundi imp., Wenceslai regis rom., « Wolgangi comitis a Montfort ». Nonnulla typis impressa saec. XV f. 88, 243 (in membr.).

776. Chart. praeter folia aliquot membr. in 8, saec. XVI, fol. *a* 290.

Tabula cod. f. 1.

Collectio inscripta: « Formulae et regulae Cancellariae Imperialis 1552: Inhibitiones, - Compulsoriales, - Ad aedendum acta, - Commissiones, - Executoriales, - Mandata poenalia, - Promotoriales, - Litterae indulti et compassus, - Litterae sentenciarum, - Litterae armorum quadripartitorum (sic in omnibus) » etc. Nonnulla Maximiliani imp. Fere omnia Caroli V.

777. Chart. in 4, saec. XV, fol. 226.

« Decisiones de conciliis Rote dominorum sacri palatii causarum auditorum per venerabilem virum dnm. EGIDIUM BELLEMERE utriusque iuris doctorem eiusdem palatii Auditorem de anno septuagesimo quarto et citra de annis septuagesimo quinto et septuagesimo septimo » (et septuagesimo octavo v. f. 190v.) f. 1.

« Iohannis de Leuania de Ruremunde tabula siue summarium Conclusionum seu decisionum Reuerendi patris dni. G. (l. Egidii) de Bellemere tunc apostolici palatii causarum auditoris postea Epi. Aui-nionensis iuxta Rubricas decreti compilata ».



\*778. Iam desiderabatur a. 1798. In vetere « Inventario » Pal. Vat. describitur his verbis: « *Leopoldi de Bebenburg. de potestate et iurisdictione Electorum s. Imperi in electione Regis* (; inc.) Reu<sup>mo</sup> in Xpo. Patri (f.) 2. — *E. insignia et dignitates* (; inc.) Ex chronica monasterii (f.) 4. — *E. tractatus de origine ac initiis Regni Francorum et de translatione Imperii Romanor. de Graecis Imperatoribus ad Reges Francorum in personam Caroli Magni* (; inc.) Legitur itaque in (f.) 7. — *E. tractatus prooemium* (; inc.) De sacri Regni (f.) 7. — *Caroli IV imp. bulla aurea* (; inc.) In nomine sanctae et (f.) 107. — *E. Bullae rubrica* (; inc.) Qualis esse debeat (f.) 106. — *E. Imperatoris leges promulgatae in Curia Metensi* (; inc.) Infrascriptae leges (f.) 132. — *Landulphi de Columna Canonici Carnotensis opusculum de imperii translatione* (; inc.) Multae uenerationis (f.) 160. — *Frederici II diploma ad fauorem Principum ecclesiasticorum* (; inc.) In nomine sanctae (f.) 176. — *Antiq. mod. ex papyr. in 4 car. sc. 178* ».

779. Chart. in 4, saec. XV, fol. 98.

« Remissorium (i. e. repertorium) aureum iuris » (titulus manu recenti) ordine alphabetico, fine carens; inc. « *A aliquando excludit aliquando includit ut notat archid(iaconus)* » f. 1.

« Tituli legum secundum ordinem alphabeti » f. 73.

Interpretatio vocabulorum quibus designantur singulae partes corporis iuris canonici et civilis; inc. « *Nota ecclesiastica constitutio quando dicitur canon quando decretum* » etc. f. 83.

« Inicia liberorum (sic) » (i. e. tractatum de iure canonico); inc. « *Apparatus Innocencii incipit Legitur in ezechaele (sic) - Abbatis (i. e. apparatus Nicolai de Tudesco) Gregorius interpretatur vigilans* » f. 83 v.

Medicinalia; inc. « *Si crus est inflatum et non vulneratum* » etc. f. 83 v.

« Conclusiones » de iure civili; inc. « *Questio prima. In civitate* » f. 84.

Sermones de tempore; initio desiderantur priores usque ad quinquagesimum; ultimus des. « *inveni amariorem morte mulierem que laqueus venatoris est et sagena corpus eius qui placet deo effugiet eam amen* » f. 85 v. Sequuntur, f. 96, tabula, et f. 96 v. index ordine alphabetico.

Sermo nomine universitatis « *lipcensis (sic)* »; inc. « *Aue Maria (etc.) R<sup>me</sup> pater et domine gloriose auribus nostris audivimus et celebri fama vulgatum est* » f. 98.

780. Membr. in f. saec. XIV, fol. 241.

Tractatus plenissimus iuris, libri quatuor, initio et fine mutili; initio folia 8 desiderantur; primus liber des. « *Qualiter autem libelli super salariis concipiuntur dicitur I. ut in L. de magistris* ».

781. Membr. in 4, saec. XII vel XIII, fol. 76.

« Summa de edendo que dicitur Olim » (v. f. 41); inc. « *Olim edebat actor et per scripturam et sine scriptura* » f. 1.

Decretum circa disciplinam ecclesiasticam canonicorum ecclesiae sanctorum « *Victoris et Iohannis de Monte* » f. 40.

Adnotationes de pratis « *sancti Paladii* » « *accensatis* » annis 1220, 1225, 1227, manu saec. XIII, f. 40v.

Summa de edendo (eadem quae supra f. 1) f. 41.

Toto codice breves glossae iuridicae in marginibus.

782. Membr. in 8, saec. XIII vel XIV, fol. 60.

« Summa » decretalium; inc. « *Primus liber XVI habet titulos. De symonia - De simonia praemittit quia plurimum sapit hoc naturam peccati* ».

783. Chart. et membr. in 4, saec. XV, fol. 238.

Formularium contractuum et instrumentorum; inc. « *In nomine dni. amen (etc.) constitutus honorabilis vir talis* » etc.

784. Membr. in f. scriptus anno 1447, fol. a 273.

Adnotatio « *Adami van Mecher de Arhelgen* » de eius accessu ad « *studium erfordense* » a. 1436, et ad « *studium paduanum* » a. 1442 f. a.

« *Lectura* » in ius canonicum « *de Iudiciis Continua(ndis) ad totum librum precedentem secundum Goff(ridum) CX* »; inc. « *Expeditus preparatoris iudiciorum ad iudicia veniendum* » f. 1.

« *Fratri THOME DE AQUINO qui edidit 4<sup>or</sup> libros de fide catholica contra gentiles capitulum XL et XLI<sup>m</sup> tertii libri* », et tertii libri eiusdem operis capita CLVI-CLIX, f. 272.

785. Chart. in 8, scriptus anno 1529, fol. 63.

« *MUNSTERI Nurembergensis in Institutionum (Iustiniani imp.) libros adnotata. Anno 1529* » f. 1.

Carmen « *in quemdam Italum* »; inc. « *Germanos dicis stolide ebriitate teneri* », manu saeculi XVI, f. 63 membranaceo.

## 786. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 241.

AZONIS summa Codicis Iustiniani imp. f. 1.

Eiusd. summa Institutionum f. 190.

« Materia ad Pandectam secundum Iob (l. Iohannem) »; inc. « *In nomine (etc.) Principium omnium rerum est deus* » f. 211 v.

« Materia ad authenticam secundum Iob (l. Iohannem) »; inc. « *Liber iste quem donante dno. lecturi sumus* » f. 224.

« Summa authenticae secundum Io(annem) cum additionibus Acursi » (eadem quae f. 224, aucta tamen et emendata) f. 227.

Toto codice breves glossae in marginibus.

## 787. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 133.

AZONIS summa Codicis Iustiniani imp.; desiderantur liber secundus fere totus, liber tertius, initium libri quarti et finis l. noni, f. 1.

Summa Pandectarum (eadem quae in cod. praec. f. 211 v.), initio carens, f. 92.

« Materia ad authenticam secundum Io(annem) » (eadem quae in cod. qui supra f. 224) f. 101.

« Azonis summa trium librorum » (i. e. X, XI, XII Codicis Iustiniani imp.) f. 118.

Lectionarii, ut videtur, fragmentum saec. XI, adhibitum in compactione codicis, f. 133.

## 788. Chart. in f. saec. XV, fol. 299.

« FRANCISCI DE ZABERELLIS repetitio » in decretalem: Perpendimus, cum tabula, f. 1.

Oratio de donatione quadam facta imagini b. Virginis depictae in palatio Domini Paduani; inc. « *In refulgenti deliciarum palatio magnifici et excelsi domini paduani in ruralibus constituti* » etc. f. 15.

« Domini LUDOVICI PONTANI de urbe repetitio facta anno dni. 1432 in ecclesia scti. Eustachii. Aut(hent.) Similiter ad (Cod. lib. VI, tit. 50) legem Falcidiam » f. 17 v.

PETRI DE ANCHARANO u. i. doctoris « repetitio » in cap. Possessor male, facta Bononiae a. 1396; inc. « *In repetitione huius regule* » f. 41 v.

« Lectura » in cap. Ut animarum et in § Statuto; inc. « *Ignorancia statuti ignorantem excusat* » f. 52 v.

« BALDI DE PERUSIO lectura » de eod. argumento f. 54.

« Dni. SEGNOROLI DE HOMODEIS de Mediolano questio » (iuridica); inc. « *Cum inter Gabrielem de Sasso ex una parte* » etc. f. 56 v.

« ULRICI PART » canonici eccl. Ratisbonensis sententia « de litteris Martini papae quas vulgo Karolinam uocant » f. 58.

« LAURENTII DE RODULPHIS trac(ta)tus continens materiam usurarum editus in hoc felici studio florentino anno dni. M. cccc. iiii. dum ipse chatedram (sic) ordinariam legeret » f. 63 v. praemissa, f. 61, tabula.

« IO(ANNIS) AN(DREAE) questiones disputate posite super regu(lis) iuris » f. 115 v.

Quaestiones de iure canonico; inc. « *Quid sint sponsalia . 2º unde dicantur sponsalia* » f. 118.

De « *causarum exercitiis* »; inc. « *Cum plures libelli super causarum exercitiis a predecessoribus nostris facti fuerint* » f. 135.

« IO(ANNIS) DE CALDARINIS tractatus de ecclesiastico interdicto », scr. a. 1461, f. 161.

(Eiusd.?) « *de potestate reservantium* »; inc. « *Tractaturus subsequenter adnectam materiam de potestate reservantium* » f. 180.

« Baldi (de Perusio) repetitio c. Si pater ex. de testamentis II » f. 191.

« ANGELI DE GAMBIGNONIBUS (sic) de Arcio tractatus maleficiorum » f. 201.

Formae iudiciorum criminalium; inc. « *Forma inquisitionis generalis quoad delicta* » f. 202.

789. Chart. in 4, saec. XV vel XVI, fol. 225.

« *Lectura* » in Digestum; inc. « *Hec rubrica secundum baldum bulgarum* » etc. f. 1.

« BERNHARDINI DE BUSTIS in secunda parte Rosarii », (i. e. secunda pars Rosarii Sermonum) inserta f. 67 v.-72; continuatur f. 224 v. et f. 219.

De simonia; inc. « *Item hic describitur Symonia que est studiosa voluntas emendi* » etc. f. 223 v.

Versus et adnotationes variae breves de rebus iuridicis; inc. « *Iustus veridicus discretus elequosus* (sic) » f. 224.

790. Chart. in 8, saec. XVI, fol. a 170.

« Dictata in nonnullos librorum Pandectarum titulos a Dn. EGUINARIO BARONE Iurecons. clariss. apud Bituriges ordinario, excepta anno salutis 1546 ». Praeit f. a index titulorum iuris « in quos dictavit dn. Eguinarius Baro ».

791. Chart. in f. saec. XV, fol. 370.

« IACOBI DE ALVAROTTIS » patavini de feudis; « opus completum atque perfectum anno 1438 ». — In calce, f. 334 v. index rerum et f. 369, index verborum ord. alphabetico.

792. Membr. in f. saec. XIV, fol. 303; picturis illustratus.

« GUGLIELMI DURANTI speculum iudiciale ».

793. Chart. in f. saec. XV, fol. 158.

« GUILLELMI DURANTI speculum iudiciale » f. 14. — Praeunt, f. 1 (mb.), quaestio de eodem argumento, et f. 2 tabula. Sequitur, f. 158 v. brevis alia tabula. Quaedam, inscitia librarii suo loco omissa, addita f. 156 seqq.

Pagellae aliquot parvi cuiusdam codicis mb. in 12, manu saec. XIII vel XIV, insertae inter f. 23 et 24, 27 et 28, nullo numero signatae, continent librum (s. BERNARDI CLARAEVALLENSIS) « de precepto et dispensatione ». Sequuntur alia de eod. arg. imperfecta; inc. « *Dispensatio est iuris relaxatio, ideo dicendum de dispensatione domini pape* ».

794. Chart. in 8, saec. XV, fol. 198.

« Liber qui est excerptus de iure per quemdam Iohannem qui fuit Mersebink in ordine minorum. Et est finitus anno dni. 1409 » f. 1.

Brevis notitia librorum qui fontes continent iuris civ. et can. et vocum quae in iisdem adhibentur; inc. « *Ad agnitionem librorum legalium uel legis et canonis sciendum quod* » etc. f. 66 v.

(Tabula necrologica) « *anniuersariorum in capella beate virginis...* »; inc. « *Primus anniuersarius dni. Iohannis lobdaw feria 3<sup>a</sup>* » etc. f. 67 v.

« *Expulsiones dyabulorum* » et benedictiones; inc. « *Statim cum obsessus uenerit ad ecclesiam* » f. 68.

« *Dni. IOHANNIS CALVANI summula breuis edicionis de iis que tempore interdicti prohibentur (sic) uel conceduntur* » f. 84.

De tribus praecipuis officiis sacerdotum; inc. « *Quia sacerdotis officium circa tria principaliter uersatur* » f. 92 v.

Exhortationes morales, metricae; inc. « *Dixi fratres serui dei vos non turbant uerba mei || Sed audite propter deum flebilem sermonem meum* » f. 113.

« *Iuris auctoritates secundum alphabeti ordinem* »; inc. « *(A)ctus extensus ad diuersas personas* » f. 116.

« *Casus papales cum Iuris allegacionibus et auctoritatibus* »; inc. « *Litterarum falsictores (sic) - Primo falsificatores litterarum papalium* » etc. f. 184.

« *Casus episcopales cum iuris allegacionibus etc.* »; inc. « *Heretici - Primo heretici Iudei et eorum fautores* » f. 186 v.

« *Excludendi a communione cum iuris allegacionibus et probacionibus* »; inc. « *Primo qui non confitentur suo plebano* » f. 192.

« *Ad pocionem faciendam* », medicinalia lingua germanica; f. 198 v.

## 795. Chart. in 4, saec. XVI, fol. a 103.

« HENNINGI A ROD. processus iudiciarius utriusque fori publicatus anno dni. MDXVI° » f. 1. Praeit tabula f. a.

« Aenigma »; inc. « *Sunt duo patres familias* » f. 102 v.

## 796. Membr. in 4, saec. XIII, fol. a-b 117.

« Mag. . . (nomen erasum) DE DROFEDA summa aurea continens artem aduocandi, respondendi et componendi consulendi et intelligendi et discernendi et distinguendi verum a falso, Oxonie composita » f. 1.

BARTHOLOMAEI BRIXIENSIS summa quaestionum dominicalium et venalium f. 69.

Folia a, b et 117, adhibita in compactione codicis, fragmenta exhibent glossae de iure civili.

## 797. Chart. in 4, saec. XV, fol. 266.

« IO(ANNIS) KAL(DERINI) tractatus de appellacionibus et recusacionibus » f. 1.

« Abbatis (i. e. NICOLAI DE TUDESCO) distinctio interdicti » f. 1.

« IO(ANNIS) KAL(DERINI) tractatus de censura ecclesiastica » f. 11.

« URBACH processus », i. e. tractatus « de omnibus iudiciis et processibus », f. 26.

De diversis generibus poenarum; inc. « *Nota quod sicut (sic) lator legis ciuilibus diuersa genera poenarum infligit sic et lator canonum* » etc. f. 108.

« De materia interesse »; inc. « *Quero quid sit interesse R. Quod est utilitas estimandi lucri* » f. 108 v.

Quaestio « an quis possit cognoscere de iure proprio uel sue ecclesie uel de iniuria propria uel sue ecclesie » etc.; inc. « *Quidam non recognoscunt* » f. 109.

Quaestio « de denuntiatione quadruplici. Et ubi et qui agere non possunt »; inc. « *Quotuplex est denuntiatio R. quod* » etc. f. 109 v.

« De presumptione quadruplici »; inc. « *Presumptio est quadruplex, temeraria* » etc. f. 110.

« De sententiae nullitate »; inc. « *Sententia dicitur nulla multis modis* » f. 110 v.

« De feudis »; inc. « *Feudum est beneficium* » etc. f. 111.

« De comodato capite I »; inc. « *Dolus secundum ost(iensem) et ab(batem) est studiosa machinatio* » etc. f. 111 v.

« De institoribus et procuratoribus negociacionum »; inc. « *Institores uel procuratores negociacionum qui sunt dati ad lucrandum* » f. 112.

De « cap. Vestra de locatione et conduc(tione) »; inc. « *Pone quod dominus* » etc. f. 112 v.

« De testamento Raynaldus computatio (sic) », i. e. tractatus in cap. Decretalium: Rainaldus; inc. « *In c. Raynaldus pro intellectu uero (?) pone quod tota hereditas* » etc. f. 113 v.

Versus de testamento; inc. « *Donat in extremis raynunctius omnia nate* »; — Item versus de eod. arg; inc. « *Hec tibi sint cure quarta dat ius geniture* » f. 113 v.

« De successione »; inc. « *Lex hereditatem ascendencium primo loco dat descendentibus* » (v. f. 144) f. 113 v.

« De cognacione spiritali »; inc. « *Quid sit cognacio* » etc. f. 114.

« IO(ANNIS) AN(DREAE) summa super quarto » (decretalium libro) f. 115 v.

« Processus iudiciarius Antequam »; inc. « *Antequam dicatur de processu iudicii* » f. 120.

« Repeticio capitis: Debitores de iure iurando »; inc. « *Reuerendi patres et domini mei premissa invocacione domini* » etc. f. 124.

« Mgri. MATHEI DE CRACOVIA tractatus de comunione » f. 129.

« De proprietatibus personarum in diuinis »; inc. « *Iuxta sanctorum tradicionem* » f. 138 v.

Adnotationes breues de novem filiabus diaboli, de undecim abusionibus saeculi et de septem gradibus humilitatis f. 140 v.

Tractatus in Decretalium caput: Omnis, tit. de peccatis et remissione; inc. « *Circa c. omnis de pe. et re. nota quod peccatum actuale est quod* » etc. f. 140 v.

« De sortilegiis »; inc. « *Queritur utrum carminatores* » etc. f. 142.

« Notata circa officium misse »; inc. « *Nota sacerdos volens digne celebrare* » f. 144.

« Item informaciones q̄. Breyt. (sic) » (idem tractatus qui supra f. 113 v. de successione) f. 144.

« De symoniace religionem intrantibus »; inc. « *Nota cyrillus patriarcha venerabilis et sanctus* » f. 144 v.

Adnotationes de passione d. n. I. Christi f. 145.

« De orationibus seruandis »; inc. « *In c. De hiis di(stinctione) XII dicitur et cauetur quod clericus tenetur diuinum officium seruare* » f. 145.

Fr. « NICOLAI DE MESSIATO » ord. praedic. summa decretalium ordine alphabetico, cum tabula, f. 146.

798. Chart. praeter f. 125-130 membr. in f. saec. XIV. fol. 142.

« PETRI IACOBI summa libellorum », cum tabula, f. 1.

« Mag. NYCOLAI DE MONTE ALBANO libellus fugitivus » f. 104. Sequitur tabula f. 137.

Adnotationes et glossae de argumentis quibus supra, ordine alphabetico, manu saec. XIV vel XV, f. 104, 124-130.

Exempla varia formularum libellorum, etiam lingua germanica.

Insunt f. 137: « Ordinacio dni. Benedicti XII edita super taxationem procuratorum prelatorum »: f. 138 Eiusdem « de decimis » ad archiepisc. rothomagensem: f. 138 v. Urbani (V) « preposito sci. Mauricii et scolastico ac cantori sci. Stephani eccliar. mogunt. », dat. Viterbii kl. Iulii a. 7.

799. Chart. in f. saec. XV, fol. 307; picturis illustratus.

« Dni. IOHANNIS PETRI DE FERARIIS (sic) practica ». Sequitur, f. 249, index alphabeticus. Ordo foliorum perturbatus in codice, restituendus: f. 1-98, 259-278, 99-258, 279-307.

800-801. Chartacei in 4, saec. XV.

(IACOBI) GENTILIS (Brixienensis) repertorium iuris, ordine litterarum digestum:

800. fol. 385. — A littera A usque ad l. K.

801. fol. 343. — A litt. L ad finem.

802. Chart. in 4, saec. XV, fol. 226.

Repertorium iuris, ord. alph.; inc. « (A)aliquando excludit aliquando includit » etc. scr. a. 1410, f. 1.

« Registrum iuris canonice (sic) », i. e. repertorium, ordine alphabetico; inc. « (A)eterna celestis memoria » f. 107.

Quaestio « de reemptionibus »; inc. « Cum per multos vertatur in dubium utrum reemptiones sint licite » f. 189.

« IOHANNIS DE DEO Hispani summa de dispensacionibus universis » f. 196.

« Eiusd. summa super formandis sententiis » f. 203.

« Tituli (digesti) et veteris et noui et inforciati » f. 205. — « Tituli codicum » f. 207 v. — « Rubrice institutionum » f. 212 v. — « Rubrice autenticorum » f. 213. — « Tituli libri feudorum » f. 214. — Recensio librorum totius iuris civilis f. 214 v.

« IOH(ANNIS) ANDREAE summa brevissima super quarto libro decretalium » (titulus ex praefatione) f. 215.

Quaestio iuridica de quodam contractu mutui; inc. « Prepositus et conuentus cuiusdam monasterii canonicorum regularium receperunt ad mutuum a quodam milite decem milia flor. » f. 223.

« Questio super eo quod contractus reemptionis iure (licitus sit) »; inc. « Queritur utrum redditus vendere emere et habere sub spe et titulo reemptionis » etc. f. 224.

Quaestiones utrum contractus quidam initi a fratribus non mendicantibus sint liciti, et responsa plurium doctorum utriusque iuris, inter quos Fr. cardinalis Florentinus, P. cardinalis Cameracensis, Ioannes de « Ger-



sono » cancellarius parisiensis, Ioannes « de Forberg » decretor. doctor, Ioannes de « Nouo Lapide » legum doctor, Ioannes « de Ceru... » leg. doctor, « Theodoricus de Monasterio » sacrae theol. professor, Iacobus de Susato ord. praed., « Nycolaus de Spira » ord. carmelitar., Ioannes « Baw » leg. doctor, « Ardicinus de Nonario », « Nycolaus Bordis » utr. iuris doctor, « Heinricus de Stick(er?) » f. 225.

803. Chart. in 4, saec. XV, fol. 313.

« Repertorium (sic) » iuris canonici, ordine alphabetico; inc. « *Absenti queritur actio ex contractu per patrem celebrato* »:

804-805. Chartacei in 4, saec. XV.

« Tabula doctorum », i. e. repertorium universale iuridicum, theologicum, morale, ord. alphabetico; inc. « *(A)ron quod iubet aaron* »:

804. fol. 339 (pagg. 678). — A littera A usque ad litt. I.

805. fol. 250. — A litt. L ad finem.

806 et 808-813. Chartacei in 4, saec. XV.

« Repertorium » universale iuridicum, theologicum, morale, ordine alphabetico; desunt litterae C, D. Praefatio inc. « *Inter multa preclara atque saluataria (sic) infirmitatis nostre remedia* » etc. In numerandis codicibus ordo turbatus ita restituendus:

806. fol. 126. — Litterae A-B.

810. fol. 186. — Litt. E-G.

808. fol. 129. — Litt. H-K.

811. fol. 190. — Litt. L-O.

812. fol. 195. — Litt. P-Q.

809. fol. 163. — Litt. R-S; codex fine caret.

813. fol. 121. — Litt. T-Z.

807. Chart. in 4, saec. XV, fol. 293.

Repertorium iuris, ord. alphabetico; praef. inc. « *Quia omnium liberorum (sic) habere memoriam et in nullo penitus errare potius est diuinum quam humanum* » f. 1.

« Conclusiones » sexti libri decretalium; inc. « *(L)icet romanus - Prima conclusio. Constitutio generalis a principe edita reuocat precedentem generalem* » f. 101.

803-813. Vide codicem 806.

814. Membr. in f. saec. IX vel X, fol. 145.  
 « IOSEPHI historiographi incipit liber antiquitatis feliciter », i. e. antiquitatum iudaicarum libri XII priores, sine praefatione, ex versione Rufino vulgo tributa. Singulis praemittitur tabula capitulorum (capitula primi libri manu saec. XV). Folio 46, in calce libri IV desinentis in verba: « *nequaquam cum eis pugnare debeatis* », adscriptum: « hic aliqua praetermissa sunt », eadem manu qua totus codex. Liber IX lacuna interruptus est, cuius indicium librarius fecit relictis vacuis columnis duabus cum dimidia; desiderantur: finis primi capituli, capp. 2-4 et initium quinti.  
 Duo disticha de libro reddendo s. Nazario (in Laurissa) f. 145 v.
815. Membr. miscellaneus in 4, saec. XV, fol. a 360.  
 Tabula codicis f. a.  
 « IOSEPHI historiarum antiquitatis iudaice » libri XX, scr. a. 1439, f. 1.  
 « Eiusd. de bello iudaico » libri VII, scr. a. 1414, f. 244.  
 « Eiusd. de uetustate Iudeorum » libri II, f. 337 v.
816. Chart. in f. scriptus anno 1447, fol. 92.  
 « FLAVII IOSEPHI de bello iudaico » libri VII, f. 1.  
 « Ex Iosepho de antiquitate iudaica ex XVIII capitulo (sic) », breve excerptum de Iesu Christo, f. 92 v.
817. Membr. in f. saec. XV, fol. 173; picturis illustratus.  
 « EUSEBII (et) HIERONIMI cronica cum superadditis PROSPERI » (Hieronymus inc. f. 72 v. Prosper f. 74 v.) f. 1.  
 « MATHEI (sic) PALMERII florentini de temporibus ad Petrum Cosmae filium Medicem », i. e. chronicon a nat. Christi ad a. « 1447 » (sic, l. 1448) f. 79.
818. Membr. in f. saec. XV, fol. 104.  
 « EUSEBII (et) HIERONYMI cronica cum superadditis PROSPERI » (Hier. inc. f. 75 v. Prosper f. 79) f. 1. — « Item quae ex chronica Marcellini defloravimus » f. 83. — Sequitur, f. 90 v. « Collectio omnium annorum istius chronici ».  
 HIERONYMI de viris illustribus, praemissa, f. 91, tabula, f. 92.  
 Initium paginae chronici Marcellini a librario minime continuatae et reiectae, f. 104.
819. Membr. in f. saec. XV, fol. 95; picturis illustratus.  
 « MATHEI PALMERII florentini de temporibus ad Petrum Cosme filium Medicem », chronicon a nat. Christi ad a. 1448.

820. Membr. in 4, saec. XV, fol. 162; picturis illustratus.  
 « MATHEY PALMERY (sic) florentini de temporibus ad Petrum Cosmae filium medicem » (idem opus qui supra in codd. 817, 819) f. 1.  
 « EUSEBII (et) HIERONOMI (sic) presbyteri chronica », a PROSPERO continuata (Hieronymus inc. f. 156, Prosper f. 159), f. 81.
821. Membr. in 4, saec. XV, fol. 153.  
 EUSEBII et HIERONYMI chronicon, a PROSPERO continuatum.
822. Membr. in 4, saec. IX, fol. 175.  
 EUSEBII Caesariensis historiae ecclesiasticae libri IX. Praeit « prologus Rufini in libro historiarum Eusebii quem de greco transtulit in latinum ». Sequuntur libri X et XI auctore RUFINO. Singulis libris praemissa est tabula capitulorum.
823. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. 158.  
 CASSIODORII historia ecclesiastica tripartita. Ordo foliorum turbatus restituendus: 1, 2, 11-158, 4-10. Codex initio et fine mutilus, incipit a cap. 9 libri I et clauditur cap. 13 libri VIII. Item deest folium quartum.
824. Membr. in 4, saec. X, fol. 168.  
 « CASSIODORI senatoris servi dei historiae ecclesiasticae ex Socrate, Sozomeno et Theodorito in unum collectae et nuper de greco in latinum translatae libri numero XII » f. 1.  
 B(ERNARDI) claraevallensis abbatis epistola ad Eugenium pp. (III), alia manu saec. XII, fine carens; inc. « *Auditum est in terra nostra* » f. 168 v.
825. Membr. in 4, saec. X vel XI, fol. 28.  
 « SULPITII SEVERI chronica ab exordio mundi usque ad tempus suum ».
826. Membr. in 4, saec. XI, fol. a-d 159.  
 ANASTASII BIBLIOTHECARIJ historia ecclesiastica tripartita f. 1. Foliis a-d chartaceis praefatio iterum, manu saec. XVI.  
 « Incipit de nomina septem gradora quomodo nominatur (sic in omnibus) apud grecos et latinos »; inc. « *Primicerius id est prima manus* » f. 154 v.  
 « Collectio annorum ut subinfertur » (ab Adam usque ad Basilium I); inc. « *Adam annos CCXXX. - Set annos CCV* » f. 155. — In margine

adnotatio de urbe Hierusalem capta a. 1099 « a Xpianis . Godefrido duce exercitum regente: », manu saec. XII.

« Quotquot regnaverunt in decem tribubus Isrls. ab annis Roboam . filii Salomonis Regis Iuda in Samaria usque ad transmigrationem . decem tribuum in Assyrios . sub Ezechia regis Iuda (sic in omnibus) »; inc. « *Hieroboam seruus Salomonis qui unctus est ab achia propheta* » f. 156 v.

« Et quotquot summi sacerdotes fuerunt in Isrl. »; inc. « *I Aaron septimus* » f. 157.

« Qui fuerunt patriarchae in Hirhm. a Xpo. »; ultimus: « *LIII Petrus qui Iustino (aug.) annos XX* »; inc. « *I Iacobus frater domini annos pre- fuit XXVI.* » f. 158.

Indiculus patriarcharum Alexandriae; desunt titulus et initium; inc. « *Usque ad hunc ex paganis imperatores et persecutores (sic) et qui post magnum Constantinum imperatorem - XVIII Achilles anno I* » f. 158 v.

« Et qui fuerunt episcopi Antiochiae a Xpo. et apostolis »; inc. « *I Petrus apostolus* »; des. « *LXII Anastasius alius annos VIII* » f. 158 v.

« Et que sunt apocrypha (sic) Veteris (i. e. Testamenti) »; inc. « *I Enoch versus I V* »; — « Et que Novi sunt apocrypha »; inc. « *I itinerarium Pauli versus III DC* »; pagina des. « *III Itinerarium Ioannis vs. I DC* » f. 159.

« Haec (sic) sunt libri diuinae scripture quae (sic) recipiuntur ab ecclesia et kanonizantur harumque versuum numerus ut subicitur »; inc. « *I Genesi versus III cccti* » f. 159.

827. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 98.

« PAULI HOROSII presbiteri ad Augustinum episcopum hystoriarum contra accusatores temporum christianorum » libri VII. — Praeit breve elogium Horosii; inc. « *Horosius presbiter hyspaneus uir eloquentissimus* » f. 1.

Eiusdem operis pagina imperfecta a librario reiecta f. 98.

828. Membr. praeter f. a-b et 175-188 chart. miscellaneus in 4, saec. XI, XIV et XV, fol. a-b 188.

« Registrum Cronice Horosii » ord. alphabetico, manu saec. XV, f. a. IOANNIS DE S. AMANDO opus de re medica, manu saec. XIV, f. 1.

« Fris. ROGERII BACUN (i. e. Baconis) anglici perspectiua », ser. a. 1349, f. 49.

« RADOLFI BERTONIS questiones », manu saec. XIV, f. 67.

« Argumenta in libros Horosii contra paganos metricae, manu saec. XIV; inc. « *Hic mala narrantur hominis miseri quoque casus* » f. 89.

« PAULI HOROSII contra paganos libri VII », manu saec. circ. XI, f. 89 v.

Epistolae sub falso Sulpicii Severi nomine evulgatae, inscriptae: « Seueri epistola ad scm. Paulinum » episcopum; inc. « *Postquam omnes coquos* »: — « Incipit epistola »; inc. « *Sacrae religionis fidus interpres* » f. 171: — « Alia »; inc. « *Licet dominus et germanus meus* »: — « Ad Saluium »; inc. « *Forensis elatio* » f. 171 v. — Alius epistolae, ut videtur, initium, sine titulo, praecedenti subnexum; inc. « *Animorum* »; des. « *praesentia visitentur* » f. 172. Omnia eadem manu quae supra f. 89 v.

« Hi sunt libri quos Bernardus proprio sumptu conscribi fecit », pro bibliotheca facile s. Martini Maguntiae; inc. « *Ysagoge. Cathegoriae. Periermenias* (sic). *Topica* » etc. manu saec. circ. XI, f. 172 v.

Pagina historiarum Horosii incepta et a librario reiecta, in cuius locum substituta est superius pagina 165, f. 173.

In vacua paginae parte, alia manu, adnotationes de oratoriis et altaribus consecratis, et reliquiis in iis repositis a. 1064 « a domno. Bennone Osnebrugensi episcopo » et « a domno nro. Eilberto (Mindensi) vener. episcopo » f. 173.

Vita s. Alexii, rhythimice, manu saec. circ. XI; inc. « *Pater deus ingenite. terrae creator caelique* || *Sancte simul paraclyte. opem cantanti porrige* » f. 173 v.

Tractatus de re mathematica imperfectus, manu saec. XV; inc. « *Quidam fecit quemdam tractatum in cuius prohemio inter cetera dicit* » etc. f. 175.

« Mag. Io(ANNIS) Decani Mulhusensis summa triperiti (sic) mathematice », manu saec. XV, f. 182 v.

829. Membr. in 4, saec. IX, fol. a 115.

« PAULI HOROSII praesbiteri (sic) historiarum adversus paganos libri numero septem »; inter f. 46 et 47 desunt quaterniones tres, f. 1.

Epistolae sub falso Severi nomine evulgatae, inscriptae: « Seueri epistula ad scm. Paulinum epm. »; inc. « *Postquam omnes coquos* »: — « Epistulae (sic) »: inc. « *Sacrae religionis fidus interpreas* (sic) » f. 113: — « Alia »; inc. « *Licet dominus et germanus meus* »: — « Ad Saluium »; inc. « *Forensis elatio* »: — Initium epistolae facile alius, praecedenti uno tenore subnexae; inc. « *Animorum* »; des. « *visitentur* », f. 114.

« Sic erat regnum macedonicum Alexandri »; subest tabula circularis demonstrans amplitudinem regni Alexandri, manu saec. circ. XI, f. 115 v.

830. Membr. in 4, saec. XI, fol. 170; picturis illustratus.

MARIANI SCOTI chronicon, continuatum alia manu ab a. 1096 usque ad a. 1128, f. 1.

S. GREGORII Magni decretum « ut diaconi solum evangelicae lectionis officium inter missarum solemnias exsolvant » f. 170.

INNOCENTII I et Gregorii Magni decreta ne « metropolitani sine pallio aliquem ordinare praesumant » f. 170 v.

831. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 65.

« Cronica martiniana (i. e. MARTINI POLONI) de summis pontificibus et imperatoribus » f. 1.

« Imperatores romani » a Iulio Caesare usque ad « Herri-  
chum (sic) (VII) » f. 62 v. — « Summi pontifices » a Petro ad Gre-  
gorium (XI) f. 63.

« Imperatores romani » (iterum) a Iulio Caesare ad « Vicislaum  
qui imperabat anno 1395 » f. 64 v.

832. Membr. miscellaneus in 4, saec. XIV, fol. 93.

BONIFATH VIII constitutio de divinis officiis tempore interdicti: « *Alma Mater ecclesia* » f. 1.

« Refert enim Iosephus . quia . XLII . anno post gloriosam dei hominis  
assentionem (sic) » etc.; praemittitur nomen: « Hinricus (sic) Gor-  
ziensis », f. 1.

« Fratris MARTINI POLONI cronica », f. 2, addita, f. 70 v. manu saec. XIV  
vel XV, notitia Nicolai IV. Continuat chronicon imperatorum, sub  
titulo: « Nota post Fridericum 2<sup>um</sup> reges et imperatores »; inc. « *Primo  
heynricus langrauius thuringie* »; sequuntur: « Wilhelmus comes hollan-  
die »: « Rudolphus primus Comes de Habisburg »: « Adolphus comes de  
Nassauo »: « Albertus dux Austrie ».

Descriptio Terrae sanctae; inc. « *Cum in veteribus hystoriis lega-  
mus sicut dicit beatus Ieronymus quosdam lustrasse prouincias* » etc. f. 71.

« Beati Ambrosii archiepiscopi epistola de moribus et honesta vita »;  
inc. « *Dilecte fili . dilige lacrimas* » f. 80 v.

S. BERNARDI epistola de re familiari gubernanda « ad gratiosum et  
felicem militem dominum castri Ambrosii » f. 81.

« Duodecim sunt abusiones quibus tota iusticia suffocatur »; — « Sex  
sunt leges scilicet Mosaica » etc. f. 82 v.

Distichon; inc. « *Ars esurit decreta tument lex lucra ministrat* »  
f. 82 v.

« Si quis ad senectutem pervenerit statim cor eius affligitur. Caput  
concutitur » etc. f. 82 v. — « Tria sunt que ducunt hominem ad regnum  
celorum » f. 83. — Sequuntur sententiae aliae eiusdem generis.

Adnotatio theologica, lingua germanica, f. 83.

Adnotatio alia, item lingua germanica; inc. « *Bischof Albrecht spuchet  
achte wort* » etc. f. 83 v.

« CLEMENS V in concilio viennensi » i. e. eiusdem constitutio contra religiosos qui generalia interdicta violare praesumunt: « *Ex frequentibus prelatorum querelis* »; — « Gerhardus archiepiscopus Moguntinus statuit quod et papa confirmavit » etc. (de disciplina ecclesiastica) f. 84 v.

HENRICI archiep. maguntini et aliorum Electorum imperii epistola ad summum pontificem pro « Ludowico » IV imperatore f. 85.

GREGORII X constitutiones promulgatae in generali concilio Lugdunensi, manu saec. XIII vel XIV, f. 86.

De baculo signo potestatis a s. Petro dato s. Martiali discipulo; — De dispensatione; — De interdicto; adnotationes breves, f. 93 v.

833. Membr. in 8, constans duobus libellis in unum compactis, saec. IX vel X, fol. 83.

Libellus prior manu saec. IX vel X:

« BEDAE presbyteri martyrologium » cum necrologio f. 1.

Rhythmus de assumptione b. Mariae virginis, cum notis musicis, (alia manu); inc. « *Hodie sanctissima uirgo uirginum celos ascendit* » f. 24.

« Concordia mensium » et horarum; inc. « *Ian. cum Decb. in horarum mensura concordat* » f. 24 v.

Antiphonae de s. Ioanne evangelista (alia manu); inc. « *Ad vesperum An. Dum sacrum mysterium cernit Iohannes* » f. 25 v.

Libellus alter manu saec. IX vel ineuntis X:

« Epitavia (sic) sanctorum » (titulus manu saeculi XIV vel XV) f. 26.

Rhythmus de s. Ioanne Baptista; inc. « *In laude summi uerbi dei praeconis* » f. 26 v.

Sylloge inscriptionum Urbis Romae; inc. « *In parad. beati Petri* » f. 27.

« Epytaphia (sic) Apostolicorum in ecclesia beati Petri »; inc. « *Epyt. Bonifatii pap.* » f. 36.

Sylloge inscriptionum Mediolani, Papiae, Placentiae, Vercellarum, Eporediae; inc. « *In ciuitate Mediolanium* » f. 41.

Epigrammata tria basilicae Vaticanae, alia manu, (tertium imperfectum); inc. « *In altare sci. Leonis primi apl.* » f. 54 v.

Sylloge epigrammatum Urbis Romae admixtis Spoletinis et epitaphio Droctulfi Ravennae sepulti; inc. « *Huius apostolici primum est hic corpus humatum* » f. 55 v.

Hymni additi manu saeculi X: De s. Caecilia; inc. « *Virgo deuota cunctis* » f. 82 v.: — De s. Nazario; inc. « *Gaudia diei celebremus ymnis* » f. 83: — De s. Vincentio; inc. « *Vincenti uerbo dei uincis uires serpentis* »: — De s. Sebastiano; inc. « *Sancto spiritu nos instructi eiusdem legeque docti* » f. 83 v.

## 834. Membr. miscellaneus in 4, saec. IX vel X, fol. 92.

Imagines: I. Christi crucifixi, sub cruce: b. Virginis et Ioannis, et superius: solis atque lunae humana specie, atramento depictae, f. 1.

« Bedani (sic, l. BEDAE) presbyteri martyrologium » f. 1 v. — Sequuntur, f. 26, « Concordatio mensium » et tabulae terminorum quadragesimalium, paschaliū, rogationum et epactarum.

Imagines sanctorum tres vario atramento delineatae, adscriptis versibus: « *Haec uulgo pictura manet dignissima laude || Et manus eximia . Laude cluente simul* » f. 28 v.

« EUSEBII HIERONIMI supputatio » f. 29.

Preces ad ss. Trinitatem, metricae; inc. « *Te' (sic) pater ac filii nec non et sps. alme || concedas nixis hic siue sedentibus istis* » f. 29.

Tabulae paschales ab a. 836 ad a. 1003 f. 29 v.

De mensium nominibus et signis zodiaci; inc. « *Hebraice . thebeth . Grece tybi . Egyptiace . eudihus . dicitur* » f. 34.

« Concordatio mensium in horarum spatio » f. 35 v.

(Bedae) « de computo vel loquela digitorum » f. 36.

De mensium diebus nonis idibus f. 38.

« Termini paschales in quibus kalendis nonis et idibus . XIII luna . id est iudaeorum pascha consistit . et regulares ad inueniendam feriam eodem die » f. 38.

« Dies anni inueniendos (sic) », i. e. summae dierum totius anni in singulorum mensium kalendis, nonis, idibus, f. 38 v.

« Regulares ad kalendas inueniendas quota sit feria »; — Termini quadragesimales et termini paschales, f. 39.

« Epactae ad lunam inueniendam » f. 39 v.

Termini paschales, regulares; — Termini rogationum; — « De Luna paschali » f. 40.

« De temporibus anni » f. 40 v.

« Argumentum ad pascham inueniendam » f. 40 v.

« Ratio bissexti quomodo aderescit » f. 41.

« Argumentum de initio quadragesimae et de Pascha » f. 41 v.

« Argumentum de duodecim signis » f. 41 v.

« Terminum (sic) septuagesimae »; — « De quattuor tempora (sic) ieiuniorum »; — « Inter uesper . et uespere . et uesperum . et uespera . haec differentia est » etc. f. 42.

« Effectus signorum »; inc. « *In his signis tropicis luna cum erit nummos mutuos dare et accipere utile est* » f. 42 v.

« Argumentum de XIII luna », et ad inueniendas rogationes, feriam et lunam calendar. ianuariarum, annos ab incarnatione domini et indictionum et epactas »; inc. « *Sicur (l. sicut) regulatur dominica dies festus paschalis ad decimam quartam lunam primi mensis* » etc. f. 43.



« De his signis qui extra zodiacum sunt »; inc. « *Sunt ergo signa extra ea quae in zodiaco consistunt* » f. 45 v.

Capitulorum tabula cuiusdam tractatus philosophici de re physica in quinque particulas divisi, manu saec. XIII, f. 46 v.

« Sci. HISIDORI spalensis (sic) episcopi liber de astra celi (sic) » f. 47 v.

« Partes philosophiae »; inc. « *Philosophiam triuaticae primo diuitur (sic in omnibus) id est in theoreticam, practicam, logicam* » f. 91.

De « storia (sic) tropologia (sic) allegoria anagoge »; inc. « *Storia simplex est* » f. 92 v.

835. Chart. in 4, scriptus anno 1426, fol. 79.

« De arte inueniendi qualiter pronuncianda luna qualibet die secundum numerum subpositum singulis litteris in martirologio et nisi singulis annis mutatur »; inc. « *(S)ciendum est quod quelibet littera alphabeti* » f. 1.

« De prologis diuersis super opus martirologii per quos post multam diligentiam apposuerunt sancti et antiqui ad compilationem huius opusculi »; inc. « *(N)otandum quod licet multi dederint operam ad compilandum martirologium* » f. 1.

« CROMATHI et ELIODORI epistola ad Ieronimum » de martyrologio; — « IERONIMI responsio » f. 1 v.

« Usuardi prephatio (martyrologii) ad Karolum regem » f. 2.

« AUGUSTINI prologus secundum alios presbiteri (sic) », i. e. prologus ex b. Augustino qualiter colendi sunt sancti, f. 2 v.

« De officio legendi et kalendarario (sic) et martyrologio et aliis his annexis »; inc. « *Laudate dominum de celis in matutin. Accedat qui lecturus est* » etc. f. 3 v.

Tabula sanctorum nomina exhibens in ordinem, ut videtur, temporum relata f. 5 v.

USUARDI martyrologium f. 10.

836. Membr. in 4, saec. XV, fol. a 227; picturis illustratus.

Adnotatio de codice Colonie empto a « Wynando de Stega », nomine Ludovici comitis palatini pro 80 florenis, a. 1425, f. a.

« Versus de fabrica sci. Wernheri Bacher habentur in libro sci Pantaleonis » (Coloniae); inc. « *Trifolium speciem gerens ymaginis alme* » f. a.

LUDOLPHI CARTHUSIANI « liber de vita Ihesu Xpisti in ewangelio (sic) tradita », pars prima usque ad cap. XL, f. 1 v. Tabula f. 226 v. Continuationem quaere in codd. 838, 839.

837. Membr. in 4, saec. XV, fol. *a-c* 235.  
 « Indulgentie urbis Rome »; inc. « *Et primo in ecclesia beati Petri Apostoli papa Gregorius* » etc. f. *a*.  
 Stationes ecclesiarum Urbis; inc. « *Dominica prima de aduentu statio ad scam. Mariam maiorem* » f. *b*.  
 LUDOLPHI CARTHUSIANI « de uita Christi in euangelio tradita pars secunda » et ultima f. 1; praeit f. *c* tabula.  
 Tabula horarum dierum et noctium per annum, italice, f. 235 v.
838. Membr. in 4, saec. XV, fol. 311; picturis illustratus.  
 (LUDOLPHI CARTHUSIANI) « de uita Ihesu in ewangelio (sic) tradita », pars prima a cap. XLI ad c. XCII. Sequitur, f. 311, tabula capitulorum. (V. cod. 836).
839. Membr. in 4, saec. XV, fol. 265; picturis illustratus.  
 LUDOLPHI CARTHUSIANI « de uita Ihesu Xpi » pars secunda a cap. I ad LVII. Sequitur, f. 265, tabula capp. (V. cod. 836).
840. Membr. in f. saec. XII vel XIII, fol. 213.  
 PETRI Trecensis (COMESTORIS) historia scholastica sive commentaria in Biblia.
841. Membr. in f. saec. XIII, fol. 139.  
 Fragmentum Isaiae c. VI, cum glossis ex Augustino et Origene, manu saec. XII vel XIII, f. 1 et 2 adhib. in compactione codicis.  
 PETRI Trecensis (COMESTORIS) « historia scolastica theologicæ discipline » f. 3.  
 Carmen in voces *vesper, vesperae* (etc.); inc. « *Sol quocienscumque vel luna fit obruta nube || dicitur hoc uesper et declinabitur ut uer* » f. 139.  
 De speciebus artis magicae; inc. « *Magice artis quinque sunt species* » f. 139.  
 De « Tychonii » (Afri) VII regulis seu « de modis loquendi diuersis in sacra scriptura », ex « Augustino » de uita christiana, f. 139 v.
842. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 156.  
 PETRI COMESTORIS « hystoria scolastica » f. 1. Quaedam omissa a librario suppleta deinde sunt f. 151 v.  
 Loci ubi apostoli sepulti sunt; inc. « *Petrus et Paulus rome sepulti sunt* » f. 151.  
 Tabula in historiam Comestoris f. 153.

843. Membr. in 4, saec. XIII, fol. a 260.

PETRI COMESTORIS « scolastica hystoria ».

844. Chart. in 4, saec. XV, fol. 260.

« Vitae patrum »:

(S. Hieronymi) vita Pauli primi heremitaie f. 1.

« Evagrii vita sci. Anthonii (sic) », cum prologo, f. 5 v.

De monachis Aegypti; prologus inc. « *Benedictus dns. qui uult omnes homines saluos fieri* » f. 39 v. Insunt vitae « sci. Iohannis » f. 41, « Hor » f. 51 v. « Ammonis » f. 53, « Beni » f. 53, « Theonis » f. 54, « Appollonii » f. 55, « Ammonis » f. 62, « Copretis » f. 64, « Heleni » f. 69, « Helye » f. 71, « Eulogii » f. 71 v. « Appellis » f. 72, « Paphnutii » f. 73 v. « Ysidori » f. 76, « Serapionis » f. 76 v. « Apollonii » f. 77, « Dyoscori » f. 78, « De habitatoribus Nytriae » f. 78 v. « Ammoni » f. 79 v. « Didimi », « Cronii », « Origenis », « Evagrii » f. 80 v. « De duobus Machariis » f. 81, « Ammonis » f. 84 v. « Pauli » f. 85 v. « Piamonis » f. 88 v. « Iohannis » f. 89.

(S. Hieronymi) « vita Malchi captivi monachi », cum prologo qui inc. « *Qui nauali praelio dimicaturi sunt* » f. 90.

De s. Frontino, cum prologo qui inc. « *Qui homo dei et Xpi.* » f. 95.

« De quodam fratre qui habebat unicam filiam nomine Marinam »; inc. « *Frater erat quidam secularis habens unicam filiam* » f. 98.

« Fuit in quodam monasterio feminarum quedam virgo que stultam esse ac demonem se habere simulabat » etc. f. 100 v.

« De Thaysi meretrice »; inc. « *Fuit quedam* » etc. f. 101 v.

« De verbis seniorum »; inc. « *Interrogavit quidam abbatem Antonium dicens quid custodiens placebo deo* » f. 103.

Folio 213 v. adnotatur: « Hucusque de greco in latinum transtulit Pelagius ecclesie romane et adhuc deorsum Iohannes subdiaconus ».

« De sanctis senioribus qui signa faciebant »; inc. « *Dicebat abbas dulas discipulus abbatis besarionis (sic)* » f. 220.

« De conversatione optima »; inc. « *Rettulit abbas dulas dicens quia ambulantes aliquando in heremo* » f. 223.

« Septem capitula verborum que misit abbas Moyses abbati Pyminio et qui custodierit ea liberabitur a pena »; inc. « *Dixit senes moyses quia debet homo quasi mortuus esse socio suo* » f. 232.

« S. Macharii epistola ad filios »; inc. « *Inprimis quidem si ceperit homo semetipsum agnoscere* » f. 252.

« Beati Athanasii episcopi sermo ad monachos »; inc. « *Etsi quid gloriari in Xpo. licet* » f. 254.

« Sci. Macharii sermo ad monachos »; inc. « *Fres. karissimi quamquam et noticiam scripturarum* » f. 259.

845. Membr. in 4, saec. IX, fol. 193.

SULPICII SEVERI Vita et Miracula s. Martini:

« Prologus de vita sci. Martini » ad Dèsiderium f. 1. — « Capitula libri primi » f. 1 v. — « Praefatio » f. 2 v. — « Vita sci. ac beatissimi patroni nostri Martini episcopi atque confessoris » (liber primus) f. 4.

« Seueri epistola ad Eusebium prbm. postea episcopum » f. 20 v.

« Item alia eiusdem ad Aurelium diaconem (sic) » f. 22 v.

« Eiusdem ad socrum suam Bassulam qualiter scs. Martinus de hoc mundo recesserit » f. 24 v.

« Capitula dialogi Seueri » f. 27 v. — « Dialogus Seueri » primus, i. e. vitae s. Martini « liber secundus », f. 28.

« Capitulatio dialogi (i. e. partis secundae dialogi primi) Severi » f. 44 v. — « Liber III de uita sci Martini », (i. e. dialogi primi pars secunda) f. 45.

« Capitula » (dialogi II) f. 54 v. — « Dialogus secundus de vita sci. Martini » f. 55.

Epigrammata cellarum et basilicae s. Martini; inc. « *Incipiunt uersi in foribus primae cellae sci. Martini episcopi* » f. 64.

« Basilica sci. Martini abest e ciuitatem (sic) passus quingentos fere et quinquaginta (etc.) », sequuntur mensurae et descriptio totius basilicae, f. 66 v. « Item solemnitates ipsius basilicae » f. 67.

« Sci. Martini liber de Trinitate » f. 67.

Caput Sulpicii Severi e dialogorum libro secundo (in editis III, 15) de « Bricchione diacono », i. e. de Briccio postea episcopo turonensi, (quod desideratur supra f. 63), f. 67 v.

« Vita sci. ac beatissimi Briccii epi. et confessoris », ex GREGORIO TURONENSI hist. Francor. lib. II) f. 69.

« Epistola de transitu sci. Martini epi. »; inc. « *Arcadio uero et Honorio scs. martinus* » f. 70 v.

« Item versiculus (manu antiqua: « versiculus » deletum, substitutum: « sermo ») de transitu sci. Martini »; inc. « *Beatus autem seuerinus colonensis (sic) civitatis episcopus* » f. 71 v.

« Item alius (add. alia manu antiqua: sermo) sci. Ambrosii (sic) de transitem (sic) sci. Martini »; inc. « *Eo namque tempore. Beatus Ambrosius cuius hodie flores eloquii per totam ecclesiam redolent* » f. 72.

« Item alius quando corpus eius translatum est »; inc. « *Opere praetium est illud inserere lectioni* » f. 72 v.

« Paulini Petricordie de uita sci Martini epi. uersibus », libri VI, f. 74.

« Dno. sco. ac beatissimo patrono (s. Martino) perpetuo epo. Paulinus », epistola, f. 141.

« Paulini uersus de Visitatione neputuli (sic) sui » f. 141 v. —  
« Item alius (i. e. alii versus) de orantibus » f. 143.

« Furtunati (sic) prb. opus de uita sci. Martini epi. », praemissis  
prologo ad Gregorium pp. et praefatione metrica, f. 143.

« Fortunati opus in laudem dei (et) sce. Mariae » f. 186.

« De reuelatione sci. Stephani RUODOLPH » (reuelationis narratio  
scripta non fuit), alia manu saec. X, f. 193 v. — Precatio abbatis « Ruodolf », quae videtur initium prologi de reuelatione s. Stephani, f. 194.

846. Membr. in f. saec. IX vel X, fol. 141.

Vitae sanctorum:

« Passio sci. Floriani. Quod est III Nonas Maias »; inc. « *In diebus Diocletiani et Maximiani imperatorum* » f. 1.

« Passio sci. Hermetis. Quod est V. kl. Septembris »; inc. « *Regnante igitur Traia(no)* » f. 1.

« De uita et passione beati Hemmerammi martyris, cuius festum celebratur X kl. Octob. »; inc. « *In perpetuum regnante dno. nro. ihu. Xpo. qui sanguine pretioso* » etc. f. 2 v.

Folio 9 v. manu saec. XIV, indiculus « passionum sanctorum (quae) in alio codice continentur ».

« Passio sci. Cyrici mar. Quod est id. Iun. »; inc. « *In diebus Alexandri praesidis* » f. 10.

« Passio scae. Margaritae uirg. et mart. III Id. Iulias »; inc. « *Post passionem et resurrectionem dni. nri. Ihu. Xpi.* » f. 14 v.

« Passio Ermagore epi. cum sociis suis IV id. Iulias »; inc. « *Post resurrectionem dni. nri.* » etc. f. 18.

« De uita uel actibus et passione beatissimi Lamberti epi. », libri duo cum praefatione; inc. « *Si paganorum figmenta* » f. 21.

« Vita sci. Galli conf. Xpi. », libri duo; singulis praeit tabula capitulorum; inc. « *Cum praeclara scissimi. uiri Columbani* » f. 25.

S. Mariae Aegyptiacae uita quam « de greco transtulit in latinum Paulus uenerabilis diaconus scae. Neapolis ecclesiae » f. 47. Praeit tab. cap. Sequitur f. 55 miraculum.

« Vita sci. ac beatissimi Goari (corr. deinde Gowari) confessoris »; inc. « *In diebus Childiberti regis francorum* » f. 59.

« In hoc libello insertae sunt passiones scorum. martyrum et uniuscuiusque sci. per haec capitula repperies passiones adnotatas », sequitur tabula passionum quinquaginta seqq. ordine calendarii, f. 62.

« Passio beatissimae Martiniae »; inc. « *Regnante primum (corr. deinde primo) omnium* » f. 62 v.

« Passio sci. Concordii »; inc. « *Temporibus antonini imperatoris grauissima persecutio orta est* » f. 69.

« Passio sci. Pontiani »; inc. « *Temporibus antonini imperatoris facta est persecutio Xpianorum* » f. 69 v.

« Passio beati Felicis prbi. nolani »; inc. « *Factum est (autem ut verba haec deinde deleta) post completionem beatissimi felicis prbi.* » f. 70 v.

« Passio beati Marcelli papae »; inc. « *Tempore quo Maximianus augustus rediens de partibus africe* » f. 71.

« Actae (corr. deinde: acta) et passio beati Anastasii martyris ex Persida ciuitate »; inc. « *Unigenitus filius et verbum dei* » f. 74.

« Passio beati Blasii »; inc. « *Etenim in Sebastia Cappadociae tradidit quidem ad correptionem eis* » f. 79 v.

« Passio scorum. mart. XL »; inc. « *Qui in Sebastia ciuitate martyrio consummati sunt* » f. 81.

« Vita seu transitus sci. Iohannis Penariensis »; inc. « *Factum est autem in diebus illis* » f. 83.

« Passio sci. Torpetis »; inc. « *In illo tempore sub Nerone imperatore* » f. 84.

« Passio sci. Alexandri papae et aliorum scorum. »; inc. « *Quinto loco a beato Petro apostolo romanae urbis* » f. 86.

« Passio sci. Gurdiani (sic) mart. »; inc. « *Temporibus Iuliani impiissimi imperatoris diuulgati sunt multi Xpiani* » f. 89.

« Pas. scorum. Nerei et Achillei » et sociorum; inc. « *Nisi studia catholicorum securitatis suae somno quiescerent* » f. 90.

« Relatio Pastoris prbi. tit. sce. Potentiane ad Timotheum prbm. » « *de sca. Potentiana* »; inc. « *Omnia que a sanctis gesta sunt uel geruntur* » f. 94 v.

« Passio sci. Cononis »; inc. « *Regnante Aureliano tyranno. directus est domitianus* » f. 95.

« Passio sci. Bonifatii »; inc. « *Temporibus dioclitiani impiissimi Imperatoris orta est seditio maxima* » f. 96.

« Passio scorum. mart. Primi et Feliciani »; inc. « *Temporibus diocletiani et maximiani imperatorum seua fuerat Xpianis orta tempestas* » f. 97 v.

« Pas. sci. Gethulii mar. et aliorum scorum. mar. »; inc. « *Iam quasi tempestate remota ab adriano principe* » f. 99.

« Passio scorum. martyrum Basilidis Tripodis et Mandalis »; inc. « *In ciuitate orientali cum beatus basilidis esset in officio platonis* » f. 100 v.

« Passio scorum. martyrum Viti Modesti et Crescentie »; inc. « *In prouintia Lucana. sub tempore diodetiani (sic) et antonini Imperatorum* » f. 101.

« Passio scorum. mart. Iohannis et Pauli »; inc. « *Sub constantino augusto gallicano duce romani exercitus* » f. 103.

« Passio scae. Symphorosae uxoris beati Gethuli mar. cum septem filiis »; inc. « *Scs. Eusebius historiographus (sic) memorat africanum* » f. 105 v.

« Passio scorum. mar. Processi et Martiniani »; inc. « *Tempore quo symon magus crepuit intus* » f. 106 v.

« Passio scarum. Rufinae et Secundae »; inc. « *Rufina et secunda duae sorores uirgines ciues romanae* » f. 107 v.

« Passio scae. Felicitatis cum VII filiis suis »; inc. « *Temporibus antonini imperatoris orta est seditio* » f. 108.

« Sermo (sic) beatae Praxedis »; inc. « *Virgo uenerabilis praxedis habitauit In titulo supradicto (sic)* » f. 109.

« Vita sci. Victorini mart. »; inc. « *Hucusque nos patris hieronimi dicta referentes per Interpretes locuti* » f. 109 v.

« Passio scorum. martyrum Simplicii. Faustini. et Beatricis »; inc. « *Temporibus diocletiani et maximiani sceleratissimorum imperatorum* » f. 111.

« Acta et passio beati Felicis mar. atque pontif. urbis Romae uia portuense »; inc. « *Fuit autem temporibus constantii filii constantini magni principis* » f. 111 v.

« Pas. beatae Seraphiae uirg. »; inc. « *Cum dies itaque metuendus persecutionis innotuisset Xpianis.* » f. 112.

« Vita sci. Donati epi. »; inc. « *Erat quidam puer in ciuitate romana nomine donatus* » f. 113.

« Unde supra », i. e. alia vita s. Donati; inc. « *Desideranti tibi famula di. anastasia ut uitam beati donati epi. de greco in latinum transferrem sermonem* » f. 115.

« Passio scae. Susannae »; inc. « *Temporibus diocletiani et maximiani augustorum . fuit quidam prbr. nomine gauinus* » f. 116 v.

« Pas. beatissimi Eupli mar. et Leuitae »; inc. « *Sub diocletiano nouies . et maximiano septies consulibus* » f. 120.

« Passio Eusebii prbi. in Roma »; inc. « *Eodem tempore quo Liberius de exilio reuocatus fuerat* » f. 120 v.

« Passio sci. Agapiti »; inc. « *Sub rege Antiocho pagano erat puer quidam nomine agapitus* » f. 121.

« Passio sci. Iacyni diaconi »; inc. « *Scm. itaque Iacynthum diaconum Luxurius tradidit consulari Leontio* » f. 122 v.

« Pas. beatissimi Cipriani et Iustinae »; inc. « *Inluminatio dni. nri. ihu. Xpi. saluatoris de caelo facta est* » f. 122 v.

« Pas. beatissi. mar. Luciae et Geminiani »; inc. « *Imperante diocletiano et maximiano septies In urbe roma* » f. 125 v.

« Passio sci. Calixti papae »; inc. « *Temporibus Macrini et alexandri incendio diuino concremata est pars capitolii a meridiano* » f. 128 v.

« Pas. beatorum mar. Simproniani . Claudii . Nicostrati Castorii . et Simplicii »; inc. « *Tempore quo diocletianus augustus: perrexit pannoniis ad metalla diuersa* » f. 130.

« Passio sci. Theodori mart. »; inc. « *Temporibus suis . Maximianus et maximinus imperatores* » f. 133.

« Passio beatissimi Menne mar. »; inc. « *Anno secundo imperii sui diocletianus augustus* » f. 135.

« Expositio Gregorii epi. turonensis ecclesiae miraculorum beati Clementis martyris atque pontificis »; inc. « *In diuinis uoluminibus* » f. 136 v.

« Passio scae. Barbarae . mar. »; inc. « *Temporibus imperatoris maximiani erat quidam satraps* » f. 137 v.

« Acta sci. Nicolai epi. myrensis atq. Lycium mytropoleos (sic) »; inc. « *Temporibus constantini magni Imperatoris . Inconstantia facta est atq. dissensio in frigia* » f. 139.

« Passio sci. Sauini epi. et mar. », fine carens; inc. « *Maximiano Augusto quintodecimo kl. maias in circo maximo ueneto uincente* » f. 140 v.

847. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 117.

« Novum passionale editum a predicatore quodam », i. e. (IACOBI A VORAGINE) legenda aurea sanctorum, in quatuor partes diuisa: I. « De tempore Renouacionis » (ab Adventu ad fest. s. Thomae ap.), II. « De tempore reconciliacionis et peregrinacionis » (a Natiuitate ad passionem d. n.), III. « De tempore reconciliacionis » (a Resurr. d. ad f. s. Pancratii), IV. « De tempore peregrinacionis » (a f. s. Urbani ad f. s. Agathonis abb.). Praeit, f. 1, tabula.

848. Membr. in f. saec. XIV, fol. 163.

« IACOBI A VORAGINE Legenda sanctorum »; idem opus quod supra, sed plenius, scil. ab Adventu usque ad fest. s. Margaritae dictae Pelagiae. Sequitur tabula; rubricis adscripti sunt numeri quorum ultimus est CLXI.

Adnotationes breues de « anniversari(is) Bertelmi de Ugonibus » et « dni. Faustini de Madiis » f. 162. — « Ista est pecunia quam recepi a fratre meo (etc.) », adnotatio partim oblitterata; — « Hec sunt mise (sic) inferius scripte beati Gregorii papae sicut continetur in libro dialogorum ubi legitur (etc.) » f. 163 v.

849. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 297; picturis illustratus.

« IACOBI A VORAGINE Legenda sanctorum »; idem opus et plenius;



ultima rubrica est: « De dedicatione ecclesiae », cui adscriptus est, manu recentiore, numerus CLXXIX.

Sententiae morales, alia manu; inc. « *O vilis humane conditionis indignitas* » f. 297.

850. Membr. et chart. miscellaneus in 8, saec. XV et XVI, fol. 121.

Folia 1-66 membr. saec. XV:

« Liber passionarii per anni circulum », i. e. legendae sanctorum a festo s. Andreae apostoli ad festum s. Philippi ap.; inc. « *Andreas frater petri* » f. 1.

Folia 67 et seqq. chart. scripta a. 1515; plurima vacua:

« IOHANNIS TRITEMII abbatis diui Iacobi maioris apostoli herbipolensis » « vita Rhabani Mauri Magnencii Moguntine sedis archiepiscopi », praevio prologo eiusd. auctoris, f. 75.

« Eiusd. beati Maximi nobilis ecclesie moguntine quondam episcopi vita nouiter edita », praemisso prologo, f. 110.

\* 851. Deerat iam anno 1798. In vetere « Inventario » Pal. Vat. describitur his verbis: « *Vitae quorundam sanctorum videlicet: S. Cyriaci* (; inc.) Si iuxta euangelicae (f.) 1, — *B. Galli Conf. per Walafridum Abbatem Augiensem* (; inc.) Nisi me sanctorum (f.) 18, — *S. Mauri* (; inc.) Postquam diuinitas (f.) 36, — *S. Goaris per Marmadum Abbatem* (; inc.) Miracula (f.) 46, — *S. Borchardi epi. Wormatien.* (; inc.) Erat igitur Burchardus (f.) 60. — *Historia Longobardorum anonymi* (; inc.) Septemtrionalis plaga (f.) 71. — *Antiq. mod. ex papyr. in fol. car. sc. 114* ».

\* 852. Deerat iam anno 1798. In vetere « Inventario » Pal. Vat. describitur his verbis: *Vitae Sanctorum et Homiliae, Videlicet: Relatio miraculosae imaginis Saluatoris dni. nostri Iesu Xpi. in ciuitate Vireti, siue Biryti inter terminos Tyri. et Sidonis* (; inc.) Eleuate oculos sensus (f.) 6, — *Sermo in festiuitate s. Mathiae Apostoli* (; inc.) Mathias hebraice (f.) 6, — *Passio s. Bonifatii et Teclae coniugum, ac duodecim filiorum; uidelicet Donati, Felicis, Aronii, Honorati, Fortunati seu Fortunatiani, Santiani seu Sauiniani, Septimini, Ianuarii, Felicis, Vitalis, Castorii seu Satorii, et Repositi tempore s. Cypriani Carthaginensis, Restitutae senatricis, cum filio et familia* (; inc.) Cum feruor Maximini (f.) 15, — *S. Marci euang. historia* (; inc.) Per idem tempus (f.) 23, — *Sermo de s. Barnaba Apost.* (; inc.) Redemptor et Saluator (f.) 27, — *S. Mercurii, Gordiani fil. Scithae uitu* (; inc.)

Decius ambitionis (f.) 34, — *De s. Luca Euang. sermo* (; inc.)  
 Cum in diuinis, atque (f.) 51, — *S. Barilidis passio* (; inc.)  
 Iesu Christi Dni. nri. (f.) 58, — *S. Gregorii pp. Homilia in illud  
 Lucae, Designauit Dominus et alios* (; inc.) Dominus et saluator  
 (f.) 63, — *Eiusdem alia in illud Matthaei, Misit Iesus duodecim  
 discipulos* (; inc.) Cum constet omnibus (f.) 73. — *Antiq. ex  
 pergam. in 4 car. sc. 77* ».

853. Chart. insertis foliis membr. in f. saec. XIV, fol. 31; picturis illustratus.

Vitae patrum:

(S. Hieronymi) « Vita beati Pauli heremite », cum prologo, f. 1.

« Evagrii pbri. prologus in translationem vitae sci. Anthonii (sic) abbatis » f. 3v. — « Beati Athanasii episcopi prologus » in eandem vitam f. 4. — Tabula capitulorum; — « Vita gloriosissimi ac magnifici confessoris beati Anthonii egipciorum heremita (sic) f. 4.

« Inventio scissimi. abbatis Anthonii a beato Ieronimo de greco in latinum translata facta a Theophilo episcopo Constantinopoleos 3<sup>o</sup> idus Iunii »; praeit tabula capitulorum, f. 21v.

« Translatio beatissimi Anthonii abbatis de sepulto loco in ignoto permissoque sed Xpi. reperto »; inc. « *Quia favente deo beati Anthonii vitam* » f. 28v.

Narratio de recessu s. Antonii a civitate Patras in desertum; inc. « *Beatus anthonius abbas cum esset in civitate Patras in monasterio* » f. 30.

854. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 58; picturis illustratus.

« Beati Eusebii epistola ad sanctum Damasium portuensem episcopum et ad Theodouium (sic) romanorum senatorem de morte gloriosissimi Ieronimi confessoris doctoris eximii » f. 1.

« Beati Augustini ypponensis episcopi epistola ad beatum Cyrillum secundum ierosolimitanum pontificem de magnificentis gloriosissimi confessoris Ieronimi doctoris mirifici » f. 28.

« Beati Cyrilli secundi ierosolimitani episcopi ad beatum Augustinum ypponensem episcopum de miraculis gloriosissimi confessoris Ieronimi doctoris magnifici » f. 33v.

855. Chart. insertis foliis aliquot membr. miscellaneus in 8, saec. XV, fol. 231.

« Beati Eusebii Cremonensis ad beatum Damasum portuen. et ad Theodorum Romanorum Senatorem eius fratrem de morte beati Iheronimi confessoris et doctoris eximii » f. 1.

« Fr. EGIDII (COLUMNAE) DE ROMA tractatus de peccato originali » f. 40.  
Excerpta ex Boetio et s. Augustino f. 51 v.

Ultima verba tractatus: « de arte moriendi » et de vita christiana;  
expl. « *neesse est ut prius antequam mors occupet mori discat* » f. 52.

« IACOBI DE CESSAL(IS) ordinis predicatorum ludus scacorum », sive de  
regimine morum, in quatuor partes divisus, f. 53. — Sequitur, f. 116 v.  
« tabula super tractatu scachorum ».

« Flores sanctorum », i. e. excerpta theologica et moralia ex  
Ambrosio, Anselmo, Augustino, Basilio, Bernardo, Cassiodorio, Gregorio  
(magno), Hieronymo, Hugone de s. Victore, Ioanne « Crissost(omo) » (sic),  
Isidoro, Paulo ap., Seneca; inc. « *Magna fides magna meretur . Augu-  
stinus .* » f. 121.

« Excerptum de repetitione seu lectura capituli: Omnes utriusque sexus,  
magistri IOHANNIS DE ODENDORFF doctoris iuris canonici Aurelian. » f. 141.

« Hec ex li(bro) vite Xpi. parte 2 c. IX »; inc. « *Et notandum hoc  
quod secundum numerum gradus apostolici duodenum* » f. 179.

« Mgri. IOHANNIS DE GERSONA, olim Cancellarii parisiensis, de tribu-  
lacionibus ex defectuoso ecclesiasticorum regimine ecclesie peruenturis,  
et de signo earumdem ex sententia pronunciata de conceptione beate  
Virg. in Concilio Constantiensi » f. 182.

« Eiusdem de symoniaca prauitate », scr. a. 1453, f. 184 v.

Ordo de vestibus ecclesiasticis et de sacrificio missae, imperfectus;  
inc. « *Dicit appls. ad epheseos . VI . Induite uos armatura (etc.) Hec  
armatura est vestis sacerdotalis* » f. 189.

De sacris ordinibus, de septem sacramentis et de sacrificio  
missae; inc. « *Nota quod sacerdos est ille qui dat sacrum munus* » f. 191.

« Regula dirigens celebrationes missarum ut caueant defectus et  
pericula ac disturbiis in missa contingentibus remedium habeatur »; inc.  
« *Defectus misse sunt quando requisita celebrationi misse deficiunt* » f. 193.

De sanitate corporis: « Istud compendium habet tres libros, primus  
est de generali regimine diete quoad omnes etates, Secundus est de  
regimine sanitatis quoad debitum nutrimentum, Tercius est de regimine  
sanitatis quoad debitas superfluitatum purgaciones »; inc. « *Primus liber  
habet duos tractatus* » f. 198.

De X praeceptis decalogi; inc. « *Primum preceptum tres habet clau-  
sulas* » f. 224.

De vita futura « ex libro collacionum »; inc. « *De futura enim vita  
plus tradendum est quam scribitur* » f. 226.

De paupertate (excerptum); inc. « *Consequenter ammonendi sunt pau-  
peres* » f. 228.

De vita clericorum (item excerptum); inc. « *Ammonendi ergo sunt  
Clerici . Primo ut intelligant statum suum* » f. 230.

## 856. Membr. in 4, saec. X, fol. 24.

(SEVERI episcopi) epistola ad omnem ecclesiam de virtutibus ad Iudaeorum conversionem in minoricensi insula factis in praesentia reliquiarum s. Stephani (titulus ex praefatione) f. 1.

De miraculis s. Stephani; inc. « *Quoniam scs. Rafahel (sic) archangelus* » f. 16. — Miraculum s. Stephani de ducentis vasis vini apothecae cuiusdam Donati reparatis, libri secundi de miraculis caput tertium, f. 23 v.

## 857. Membr. in 4, scriptus anno 1300, fol. 84; picturis illustratus.

De sacramento Eucharistiae et de institutione festi corporis Christi, excerpta; inc. « *(Immensa diuinae largitatis beneficia exhibita in populo Xpiano.* » f. 1.

« Hii sunt quasi quidam nobiles arborum rami inter quos pululauit (sic) et de quibus nascendo processit flos ille pulcherrimus beata Hedwigis fructibus generosis venustus », stemma genealogicum, f. 1 v.

Antiphona in honorem s. Catharinae, cum notis musicis, f. 2 v.

(ENGELBERTI) « *Legenda maior* » « *beate Edwigis quondam ducisse Sle(siae)* »; inc. « *Splendoris eterni genitor. lumenque indeficiens* » f. 3.

Eiusd. « *Legenda minor de uita beate Hedwigis* »; inc. « *Lux lucis et fons luminis pater de celis deus* » f. 65 v.

Sequentiae « *de sancta Elyzabeth* » et « *de sancta Hedwigis (sic)* », cum notis musicis, f. 70. — Officium s. Elisabeth f. 71 v. — « *Hystoria (officium) beate Hedwigis* » f. 77 v.

## 858. Chart. in 4, saec. XV, fol. 67.

Testimonia de sanctitate et cultu beati Weneri, collecta (in Bacheraco) iussu Iordani de Ursinis « *ad reuerentiam nec non informationem apostolice sedis eiusque summi pontificis (etc.)* ». Inest, f. 7, « *Vulgare canticum in bona notula* »; inc. « *Gott vatter in der ewigkeit* », cum translatione latina Wynandi de Stega. In calce codicis legitur: « *Actum et conclusum ac sigillatum Anno domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono* ».

## 859. Chart. in 4, saec. XV, fol. 114.

De gestis et translationibus trium Regum; inc. « *In primo capitulo huius libri qui est collectus de gestis et translacionibus trium regum q. est prefacio operis sequentis* » f. 1.

« *Magistri IORDANI cronica qualiter romanum imperium translatum sit ad germanos et quare romanum imperium sit honorandum* ».

« *Nota excerptum de visionibus siue propheciis Hyldigardis. XXV visio tercię partis* », et « *de quarto tempore quod significatur per portum. XXVII* » (visio).

860. Membr. in 8, saec. XV vel XVI, fol. 72.

Sermo de corpore Christi; inc. « *Magnitudo caelestium beneficiorum* » f. 1.

Vita s. Moysis heremita; inc. « *Moyses genere ethiops* » f. 16.

(HIERONYMI) vita s. Pauli primi heremita; f. 21.

« Vita sci Malchi captivi monachi a beato Hieronymo edita » f. 29 v.

(Eiusd.) vita s. Hilarionis f. 39.

Vita s. Macarii presbyteri alexandrini; inc. « *(V)ere mundum quis dubitet meritis stare sanctorum* » f. 62.

861. Chart. in 8, saec. XV, fol. 139.

« Retract(ati)o breuis et succincta perfectissime uite sanctissimeque venerabilis ac devotissime religiose gloriose memorie nomine Colete ordinis sce. Clare prime reformatricis » (titulus ex praefatione); prologus inc. « *Altissimi conditoris unigenitus cum eodem spirator ut unicum principium superni neupmatis (sic)* ».

Iudicium de hoc codice manu Angeli Battaglini, olim Scriptoris bibliothecae Vaticanae, f. 139.

862. Chart. et membr. miscellaneus in 8, saec. XV et XIII, fol. 108.

Folia 1-67 chartacea varia manu saec. XV:

« Vita sancti Iuliani martyris »; inc. « *Quidam probus scripsit vitam beati Iu(li)ani mris.* » f. 1.

« Vita beate Marine uirginis »; inc. « *Fuit quidam vir unicam habens legitimam filiam* » f. 17.

« Historia septem sapientum »; inc. « *Legitur in libro de septem sapientibus Quod fuit rome quidam imperator diodecianus (sic) nomine* » f. 24.

« Domini FRANCISCI PETRARCHE libellus augustalis et est usque Rupertum ducem Bauariae et Regem Romanorum » f. 44.

« CRISPI SALUSTII (sic) Catelinarii belli liber » membr. manu saec. XIII, f. 68. — Insertus est, f. 84 v. brevis prologus « b. Prosperi » in librum « de dictis et preceptis beati Augustini »; inc. « *Ut in capite uniuscuiusque libri quaedam esse intrinsecus requiruntur ita et in huius libri principio* » etc.

« Scriptorum alii sunt poete alii historiographi » etc., prologus de Sallustii vita et scriptis, f. 84 v.

Totus codex palimpsestus est. Antiquior scriptura duplici manu saec. X vel XI: altera exhibet calendarium tabulas cyclicas et alia de ratione temporum; altera litteris minoribus fragmenta liturgica vel homiliarum.

863. Membr. et chart. miscellaneus in 12, saec. XIV vel XV et XVI, fol. 148.

Folia 1-127 membranacea, manu saec. XIV vel XV:

« *Passiones sanctorum per circulum anni* », in compendium, a festo s. Stephani; inc. « *Stephani - Tyberius cesar cum infirmaretur et sanari non possit* ». Ultima s. « *Brigide uirginis* ».

« *Sermo ad sacerdotes* »; inc. « *Locutus est dns. ad moysen dicens* » f. 110. — « *Octo prerogatiue beate uirginis* »; inc. « *Beata maria octies maior est quolibet sancto* »; — « *De passione domini* »; inc. « *Non est dolor similis* » f. 111 v.; — « *Nota V raciones quare Xps. primo apparuit Marie Magdalene* »; inc. « *Racio prima est propter furorem dileccionis* » f. 112.

De decem praeceptis; inc. « *Primum mandatum est non adorabis deos alienos* » f. 112.

Benedictio « *amoris sancti Iohannis* » et aliae, manu saec. XV, f. 113.

Tabula passionum (v. supra), imperfecta, manu saec. XV, f. 114.

« *Beati BERNARDI abbatis Clareuallis soliloquium* » f. 115.

« *Dicta sancti Augustini Episcopi* » (titulus manu saec. XV); inc. « *O homo intellige ex consilio sce. trinitatis et opere maiestatis diuine* » f. 125.

Folia 128-148 chartacea, manu saec. XVI:

« *Annotationes (sic) in Valerium Maximum adiectae a doctissimo magistro MICHAELE MACK. Anno MDXXXV. Men: Octob:.* ».

\* 864. Codex redditus a. 1816 bibliothecae universitatis Heidelbergensis; v. Wilkenium p. 295.

865. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. 108.

Tabula codicis, manu saec. XIII, in qua ultimo loco ponitur: « *Vita Martini versifice* » (verba haec postea oblitterata), quod opus desideratur, f. 1.

« *Liber vitae patrum opere FLORENTI GREGORII TURONICI* »; praeit tabula capitum, f. 1 v.

(Eiusd.) « *liber in gloria confessorum* », praemissa capp. tabula, f. 65.

866. Membr. in 12, saec. XIII, fol. 128.

(HUBERTI DE ROMANIS) vitae s. Dominici et priorum patrum ordinis fr. praedicatorum; opus in quinque partes divisum, quibus singulis praeposita est tabula capitulorum; initio carent; desunt item folia in fine primae partis (inter f. 11 et 12), f. 12. — Accedit, f. 88, *chronicon* eiusdem ordinis ab anno 1203 ad a. 1253 (sic); inc. « *Anno dni. M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. III<sup>o</sup> (sic). fr.* » etc.

Vita s. Gratosae Mariae; inc. « *Refert (?) et scribit magister Iacobus de Vitriaco . quod fuit in episcopatu leodiensi . uilla quae dicitur Riuella . iuuenclam . uita et nomine gratiosa . maria .* » f. 92 v.

Miracula et exempla moralia praesertim de « *cruce signatis* »; inc. « *Cum crux transmarina predicaretur accidit quod quidam per quandam siluam transiret* » f. 100.

« *Petri Damiani cardinalis relationes* » (miraculorum), i. e. compendium capp. X et XI Institutionis monialis Petri Damiani, f. 102. — Inserta est, f. 102 a chartaceo, brevis adnotatio de hoc argumento manu Al. Ferrucci.

« *De amico Amelio* »; inc. « *Temporibus Pipini regis francorum orti sunt parui duo modo miro* » etc. f. 103.

« *Vita et conuersatio Antigoni et sancte matrone Eufrasie eius uxoris atque Eufrasie filie eorum* »; inc. « *In diebus Theodosii piissimi imperatoris . fuit quidam uir senator* » f. 104 v.

« *Vita beati Onufrii anachorite* »; inc. « *Paphnucius humilis seruus uestre sanctitatis omnibus dei famulis* » etc. f. 115.

(S. HIERONYMI) « *Vita beati Malchi captiui monachi* », f. 122.

« *Vita beate Eufrosine virginis* »; inc. « *Fuit uir in alexandria nomine paphnucius* », fine carens, f. 125.

867. Membr. in 4, saec. XV, fol. a 76.

Ex Gregorio Nazianzeno de septem mundi spectaculis, latine et graece; inc. « *Primum quidem mundi spectaculum* » f. a.

« *Solinus de asia de templo Diane ephesie* », excerptum, f. a.

De Zeuxi et Phidia, excerpta; inc. « *Zeusis autem cum Helenam pinxisset* » etc. f. a.

« *EUSEBII (et) HIERONYMI cronica cum superadditis PROSPERI* » et praefatione Hieronymi f. 1; Prosper inc. f. 71 v.

« *Ex Vitruuio de architectura libro 2<sup>o</sup>* », excerptum de Mausoli regis domo, f. 76.

868. Membr. in 8, saec. XV, fol. 56; picturis illustratus.

« *IANNOZII MANETTI de vita ac moribus Nicolai Quinti summi pontificis* » libri tres, cum praefatione « *ad . A. Cardinalem Hilerdensem et ad Ioannem Cosme filium* ».

869. Membr. miscellaneus in 4, saec. IX, X, et XI vel XII, fol. 69.

Folia 1-30 manu saec. IX:

« *REMIGII et aliorum epistole* » (tit. manu saec. XII) hoc ordine (et sic in omnibus):

- « Capitulatio », i. e. tabula epistolarum, f. 1 v.
- « Remedii (Remigii) epi. ad domnum Chlodoueam regem », duae, f. 3, 3 v.
- « Eiusd. ad Heraclium . Leonem . et Theodosium . epos. » f. 3 v.
- « Eiusd. ad Falconem episcopum » f. 4 v.
- « FLORIANI ex monasterio romeno . ad domnum Nicecium episcopum », duae, f. 5 v. 6.
- « NICETII episcopi ad Iustinianum imperatorem » f. 6 v.
- « Eiusd. ad Hlodosuindam reginam » f. 8.
- « GERMANI epi. ad domnam Brunehildam reginam » f. 10.
- « AURELIANI epi. ad domnum Theodebertum regem » f. 11 v.
- « MAPINI epi. ad domnum Nicetium episcopum » f. 13.
- « DINAMII ad amicum » f. 14.
- « GOGONI ad Chamingum ducem » f. 14.
- « FURTUNATI . ad domnum Magnericum episcopum » (carmen) f. 14 v.
- « Mapini epi. ad domnum Vilicum episcopum » f. 15 v.
- « Gogonis ad Trasericum » f. 15 v.
- « Dinamii ad domnum Vilicum papam » f. 16.
- « THEODOBALDI » regis ad Iustinianum imp. f. 16 v.
- « Theodoberti regis ad Iustinianum imperatorem », duae, f. 17.
- « RUFII epi. ad domnum Nicetium episcopum » f. 17 v.
- « Gogonis ad Petrum papam » f. 18 v.
- « AUSPICII epi. ecclesiae tullensis . ad Arbogastem comitem Treuerorum » (carmen) f. 19.
- « Epistula directa ad domnum Nicetium episcopum »; inc. « *Humilitati meae coronam uestri apostulatus* (sic) » f. 20 v.
- « HILDIBERTI regis ad Mauricium imperatorem » f. 21.
- « BRUNIHILDIS reginae ad Mauricium imperatorem » f. 21.
- « Brunihildae (corr. - dis) reginae Athanagildo regi . nepoti . » f. 21 v.
- « Hildeberti regis Athanagildo regi » f. 21 v.
- « Brunihildae (corr. - dis) ad Anastasiam augustam » f. 22.
- « Hildiberti regis ad Iohannem epm. » f. 22 v.
- « Eiusd. ad Honoratum apochrisiarium (sic) » f. 22 v.
- « Eiusd. Domitiano epo. » f. 23.
- « Eiusd. Theodoro magistro » f. 23.
- « Eiusd. ad Iohannem questorem hoc est consiliarium » f. 23 v.
